B. N. C.
FIRENZE
1008
7

1008. 7

LX
METSCH
Hist. Theologor.

A1

IX RVME
Hist. Theolog.
4

IESUS!
* * *

ILLUSTRISSIMAE BIBLIOTHECAE
COSMEO FLORENTINAE
HUMILLIMUS SACRABAT D[illegible]
III. NON. IAN. A. CHR. M.DC. LXXX.
IO. FRIDERICUS HEKELIUS.

DE

VNIVERSALI
THEOLOGORUM EVANGELICORUM *HISTORIA*,

AD

VIRUM

Ampliſſimum & Excellentiſſimum

JO. FRIDERICVM HEKELIVM

Magni Nominis

PHILOLOGUM & POLYHISTORA,

IO. CHRISTOPHORI RVMETSCHII,

RECTORIS GYMNASII SPIRENSIS,

SCHEDIASMA
HISTORICO-ECCLESIASTICUM;

SIVE

EPISTOLA RESPONSORIA;

Ubi

Inter alia

DE

VETUSTIORIBUS ET RECENTIORIBUS SCRIPTORIBUS

Euſebio Pamphili, Hieronymo, Ruffino, Socrate Scholaſtico Byzantino, Theodoreto, Hermiâ Sozomeno Salaminio, M. Aurelio Caſſiodoro, Evagrio, Theophylacto Simocatto, Nicephoro Patriarchâ Conſtantinopolitano, Nicephoro Calliſto Xanthopulo, Georgio Cedreno, Ioanne Zonarâ, Nicetâ Choniate, Nicephoro Gregorâ, Ioanne Cantacuzeno, Laonico Chalcocondylâ, Gennadio Maſſilienſi, Iſidoro Hiſpalenſi, Honorio Auguſtodunenſi, Sigeberto Gemblacenſi, Henrico de Gandavo, Io. Trithemio, Centuriatoribus Magdeburgenſibus, Cæſare Baronio, Roberto Bellarmino, Iſaaco Caſaubono, Abrahamo Bzovio, Sixto Senenſi, Laurentio Surio, Antonio Poſſevino, Iacobo Auguſto Thuano, Auberto Miræo, Philippo Labbeo, Petro Soave Polano, Sfortiâ Pallavicino, &c.

Breviter diſſeritur.

SPIRÆ NEMETUM,
Impenſis *CHRISTOPHORI* Olffen/
Excuſa Typis Senatoriis apud Viduam Matthæi Metzgeri,
A. O. R. MDCLXXIX.

VIRO.
AMPLISSIMO. ET. EXCELLENTISSIMO.
DN.
JOHANNI. FRIDERICO. HEKELIO,
SECULI. PRÆSENTIS. ORNAMENTO.
MELIORIS. INSTRUMENTO.
AMOENIORUM. LITERARUM. ASSERTORI,
PHILOLOGO. EXIMIO.
POETÆ. FELICISSIMO.
POLYHISTORI. PRÆCLARISSIMO.
THEOLOGORUM. EVANGELICORUM.
POST.
DEPOSITAS. MORTALITATIS. EXUVIAS.
IN.
ÆTERNITATIS. FANO.
IMMORTALI. POSTERITATIS. ELOGIO.
VINDICI. DEXTERRIMO.
FAUTORI. ET. AMICO. CERTISSIMO.
A.
PATRE. LUMINUM. ET. FONTE. SERENITATIS.
SERENA. OMNIA.
DEVOTIS. OPTAT. VOTIS.
ET.
HANC. TABULAM. SCHEDIASTICAM.
SINCERI. AFFECTUS. SPONSOREM.
HAUD. FUCATÆ. AMICITIÆ. TESTEM.
IN.
MNEMOSYNES. DELUBRO.
OBLIGATISSIMA. MENTE. ET. MANU.
L. M. Q.
SUSPENDIT.
PERPETUO. NEXU. ADDICTISSIMUS.
JOHANNES. CHRISTOPHORUS. RUMETSCHIUS.

QUod humaniſſimis tuis, *VIR EXCELLENTISSIME*, Dreſdæ XII. Calendas Octobris anni proximè præcedentis exaratis, mihiq; XVII. Calend. Decembris exhibitis literis veteris amicitiæ memoriam refricare, & haud vulgaribus ingenii tui fœtibus, quos doctrinæ ſimul & favoris indices eſſe voluiſti, me beare non fueris dedignatus, eſt, quod de amore, quem integrum inviolatumque ſervari apud te haud obſcuris cognovi documentis, mihi gratuler, tibique, ut decet & par eſt, gratiſſimas agam gratias, relaturus animo libentiſſimo, ſi qua ſe offerat commoditas. Faſciculum VIRO muneris, dignitatis, eruditionis, meritorum ſplendore *ILLUSTRI Dn. HULDERICO EYBENIO*, antehac in Ludovicianâ ad Lanum & Juliâ ad Elmum Univerſitatibus Juris *ANTECESSORI* famigeratiſſimo, nunc in Supremo per Germaniam Themidis Tribunali, quod heîc *AUGUSTÆ NEMETUM*, *ADSESSORI* & nomine *INFERIORIS SAXONIÆ CIRCULI LEGATO PERPETUO*, Celeberrimo, Patrono noſtro Magno, inſcriptum, offerendum curavi, nec dubites ipſi accepta fuiſſe literaria tua Monumenta, in quibus claras priſcæ elegantiæ & doctrinæ notas videre licet, cumprimis OSCULA, eruditiſſimo pol! Diſcurſu Philologico illuſtrata, quæ, ut de *SUAVIIS* Jani Lernutii ſcribit Belgarum Ocellus Juſtus Lipſius Centur. I. Epiſt. xx. p. m. 24. *& Catones capere poſſint, & dare ipſa Veſtales.* Ab omnibus Gratiis eſſem alienus, niſi tuum in me tàm propenſum affectum & prolixam benevolentiam gratâmente æſtimarem, & par pari referre ſtuderem. In ære tuo me ingenuè profiteor, & omnibus viribus annitar, ut bonâ fide nomen expungere queam. Ut jucundiſſima mihi fuit tàm honorifica compellatio, ita perquàm moleſtum accidit, quod priores tuæ, quarum mentionem facis, neſcio quo ſuo fato, ſive tabellariorum incuriâ, ſive temporis injuriâ perierint, antequam ad meas pervenirent manus. Dum enim id temporis circa SPIRAM noſtram, quod nec Saxoniæ veſtræ ignotum eſſe puto, Mars & Bellona funeſtos agerent Triumphos, nos è mœnibus propè noſtris hinc Bicipites Aquilas, illinc Lilia non in hortis vernantia, ſed in Vexillis militaribus fulgentia cerneremus, cœlo favente quidem extra noxam, ſed non extra metum, haud vana ſuſpicio eſt, illas interceptas, quæ tamen auro mihi contra fuiſſent pretioſiores. Hinc exiſtimo ſollicitâ Oratione mihi non opus eſſe apud te, ut culpam ſilentii deprecer, cum non ſim neſcius, te non minus integritate & ingenuâ quâdam

virtute, quàm eruditione clarum, mihique ſanctè, velim, credas, nominis & honoris tui ſtudioſiſſimo, amicitiâ tuâ nihil eſſe antiquius. Ex Sciagraphiâ THEOLOGORUM EVANGELICORUM UNIVERSALIS HISTORIÆ ad Per-Illuſtrem ac Generoſiſſimum Dn. VITUM LUDOVICUM A SEKENDORFF, Potentiſſimo Electori Dn. JOHANNI GEORGIO II. & Sereniſſimo Duci Saxoniæ Dn. MAURITIO à Conſiliis Intimis, hujuſque Cancellarium Eminentiſſimum, Heroa incomparabilem, qui literatæ nobilitatis decus & dignitatem, vel ſolus, vel certè cum paucisſimis ſuſtinet, *meritò cui doctior orbis ſubmiſſis defert faſcibus Imperium* &c. benivolè mihi communicatâ, non ſine ingenti animi voluptate percepi, quibus occuperis ſtudiis, dum Herculeo ſanè labore (nihil tribuo auribus tuis, quod à candore meo alienum) meditaris Opus, quod tibi nominis æternitatem pariet. Quid de VITIS magnorum Virorum ſentiat, quaque ratione in iis concinnandis ſeculi hujus torporem caſtiget ſeculi & gentis ſuæ decus, ornator & ornamentum literarum, Franciſcus Baconus Baro de Verulamio, Vice-Comes S. Albani, Summus Angliæ quondam Cancellarius, indicat ipſemet lib. II. de Augmentis Scientiarum Cap. VII. p. m. 136. ſeqq. edit. Lugd. Bat. an. 1652. ſcribens: *De VITIS cogitantem, ſubit quædam Admiratio, tempora iſta noſtra, haud noſſe bona ſua; cum tam rara ſit commemoratio, & conſcriptio VITARUM, eorum, qui noſtro ſæculo claruerunt. Etſi enim Reges, & qui abſolutum Principatum obtineant, pauci eſſe poſsint; Principes etiam in Republicâ liberâ (tot Rebuſp. in Monarchiam converſis) haud multi; utcunq́, tamen non defuerunt viri egregii (licet ſub Regibus) qui meliora merentur, quàm incertam & vagam memoriæ ſuæ famam, aut elogia arida & jejuna. Etenim hac ex parte, inventum cujuſdam ex Poëtis recentioribus, quo antiquam fabulam locupletaret, non inelegans eſt. Fingit ille, in extremitate fili Parcarum, numiſma quoddam, ſeu Monile pendere, in quo defuncti nomen impreſſum ſit: Tempus autem cultrum Atropi præſtolari, & ſtatim abſciſſo filo, numiſmata eripere, eaq́, aſportata, paulò poſt in fluvium Lethes ex gremio ſuo projicere: Circa fluvium autem, magnam avium vim volitare, quæ numiſmata arripiunt, ac poſtquam in roſtris ipſarum pauliſper eadem circumtulerint, paulò poſt per incuriam in fluvium decidere permittunt: Inter eas verò Cygnos reperiri nonnullos, qui ſi numiſma aliquod cum nomine prehenderint, illicò ad Templum quoddam illud deferre ſolebant, immortalitati conſecratum. Hujuſmodi itaq́, Cygni noſtris temporibus ferè defecerunt. Quamvis autem plurimi hominum, curis & ſtudiis ſuis nimio pluſquam corporibus mortales, nominis ſui memoriam, veluti fumum aut auram deſpiciant, ANIMI NIL MAGNÆ LAUDIS EGENTES; Quorum ſcilicet Philoſophia & ſeveritas ab eâ radice pullulat, NON PRIUS LAUDES CONTEMPSIMUS, QUAM LAUDANDA FACERE DESIVIMUS; Id tamen apud nos Salomonis judicio non præjudicabit, MEMORIA JUSTI CUM LAUDIBUS, AT IMPIORUM NOMEN PUTRESCET; Altera*

per-

perpetuò floret; *alterum aut in oblivionem protinus abit, aut in odorem tetrum computreſcit. Ac propterea in eo ipſo ſtylo, vel loquendi formula, quæ rectè admodum recepta eſt, ut defunctis tribuatur*, (FELICIS MEMORIÆ, PIÆ MEMORIÆ, BONÆ MEMORIÆ) *agnoſcere videmur illud, quod Cicero* (*mutuatus idipſum à Demoſthene*) *protulit*, BONAM FAMAM PROPRIAM ESSE POSSESSIONEM DEFUNCTORUM. *Quam quidem poſſeſſionem non poſſum non notare, noſtro ævo incultam ut plurimum, & neglectam jacere.* De VITIS THEOLOGORUM votum Dn. D. Johannis Micrælii adducit Vir Cl. M. Henningus Witten, in Præfat. ad Lectorem *MEMORIIS THEOLOGORUM NOSTRI SECULI CLARISSIMORUM RENOVATIS*, edit. Francof. Anno MDCLXXIV. præmiſsâ p. m. 27. *Utinam illud Opus Eccleſiæ utiliſsimum tandem aggrederetur, qui abſolveret. Quàm mira enim providentiæ divinæ exempla in Hiſtoriis Theologorum noſtri ſeculi occurrant, cùm ex aliis, tum ex libris, quos Melchior Adamus, & Biſmarcus de Vitis Theologorum ſcripſere, manifeſtum eſt.* Salivam multis moviſti, AMICORUM INTEGERRIME, & Publicam de te excitâſti Famam, cujus teſtis eſſe poterit Vir Excellentiſſimus Georgius Matthias Königius, Græcæ Linguæ & Poeſeos in Academiâ Altdorfinâ Profeſſor Publicus, nec non Bibliothecarius, in Nuperâ ſuâ Bibliotheca Veteri & Nova edit. Altdorf. cIↃ.IↃc.LXXVIII. p. m. 287. ſcribens: *IO. FRIDERICUS HEKELIUS HOC TEMPORE CLARET. TRACTATUM DE CORONIS POETARUM : ET ALIUM DE OSCULIS ELABORAVIT. PROMITTIT ETIAM VITAS THEOLOGORUM.* Hinc verba viri elegantis ingenii Dominici Baudii, haud incelebris Academiæ Lugduno-Batavæ quondam Profeſſoris, è Cent. I. Epiſt. IV. p. m. 7. ad Adrianum à Blyenburgh JC. cum hic *Parentalium* ſuorum librum editioni pararet, mea facio : *Quod cum ita ſit, quamvis ipſe moleſtus non ſim, tamen vel hæc una ratio abs te poſtulat, poſtulat autem? imò flagitat, ut tandem cum Muſis volentibus expedias quod Reipublicæ literariæ debere te ſentis, & debere non debes diutius.* Hiſtoriam Eccleſiæ calamo conſignare, ejus Doctores alioſque præclarè meritos Viros, Vitam eorum, res geſtas, perſecutiones, martyria recenſere, Memoriam illorum, ne unà cum cineribus ſepulta jaceret, ab oblivione vindicare, multorum quidem jam olim fuit conatus & induſtria, de quibus tamen varii ſunt variorum ſenſus, imò diſſenſus. Inter primos hanc Spartam adornare tentavit *EUSEBIUS PAMPHILI* (juxta Hieronymum de Illuſtribus Eccleſiæ Scriptoribus Cap. LXXXI. p. m. 88. Honorium Auguſtodunenſem Presbyterum de Luminaribus Eccleſiæ n. 81. p. m. 257. *ob amicitiam Pamphili Martyris ab eo cognomentum ſortitus*, licet Nicephorus Calliſtus lib. VI. Hiſtor. Eccleſ. cap. XXXVII. p. m. 290. aliam rationem ſuppeditet, *quod nempe fuerit ſororis ejus filius, eidemq́; adeò charus, ut nomen illi ſuum impoſuerit*) Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopus, & Chronographorum Eccleſiaſtico-

rum facilè Princeps, cujus, ut loquitur Abrahamus Bucholcerus in Chronologiâ ad Annum Chriſti 339. *indefeſſo ſtudio, incredibili diligentiâ, & vix ſatis æſtimandis laboribus poſteritati conſecrata eſt bona Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ pars, quâ hodiè fruimur.* De cujus laboribus ita cenſet Abrahamus Sculterus Medullæ Theologiæ Patrum Part. III. p. m. 84. *Quæ igitur Chriſtianæ Eccleſiæ jam tum, poſt Chriſti in Cœlos ἄνοδον, veluti naſcentis, primordia fuerint: quorum Operâ & miniſterio ſonus doctrinæ Evangelicæ in totum terrarum orbem exierit, ſic ut Evangelio univerſa propè Orbis climata repleta ſint & reſonarent: quæ ſanctorum Apoſtolorum certamina, qui ſucceſſores, & præcipuarum Eccleſiarum Epiſcopi fuerint: qui Principes Nutricii, qui hoſtes & perſecutores extiterint, & qui vitæ eorum exitus fuerint? Ea omnia Euſebius noſter decem libris complexus, hiſtoriæ ſeriem uſq; ad Tempora Conſtantii Aug. annum Chriſti CCCXXVI. deduxit &c.* Quam curam adhibuerit Euſebius, ipſe teſtatur in Prooemio libri I. Wolfgango Muſculo Interprete ſcribens: *Verùm res ipſa hoc jam in ipſo exordio expetit, ut mihi ignoſcatur. Confiteor namq; majus eſſe viribus noſtris, abſolutumq; & incomprehenſibile, quod pollicemur ac profitemur. Nam & PRIMI nos argumentum hoc jam aggreſſi velut deſertam quandam & inuſitatam viam ingredi conamur, & quamvis Deum nobis viæ Ducem, & Cooperatricem Chriſti potentiam adeſſe oramus, nuſquam tamen nobis nuda eorum hominum veſtigia deprehendere licet, qui eandem hanc ſint ante nos viam ingreſſi, niſi exiguas duntaxat occaſiones, quibus alius aliter ſuis quiſq; temporibus, particulares nobis narratiunculas, quaſi faculas quaſdam reliquerunt, dum voces ſuas è longinquo emiſerunt, & de ſupernis, velut è ſpeculâ vociferantes, quà eundum, & quomodo ſermonis iter abſq; errore & periculo dirigendum ſit, præcipiunt. Quæcunq; igitur ad propoſitum argumentum profutura putabimus, quæ ab illis ſparſim ſunt commemorata, colligentes, & velut è rationalibus pratis accommodas eorum, quæ olim ſcripſerunt, voces, quaſi floſculos decerpentes, hiſtorica narratione in unum corpus redigere conabimur, hoc in votis habentes, ut ſi non omnium, potiſſimùm tamen illuſtriſſimorum Servatoris noſtri Apoſtolorum ſucceſſiones ſecundum inſignes adhuc, atq; etiamnum memorabiles Eccleſias ab oblivione vindicemus. Arbitror autem, argumentum me ſummoperè neceſſarium ad elaborandum ſuſcepiſſe, eò quod neminem uſpiam Eccleſiaſticorum Scriptorum ad hoc uſq; temporis circa hanc Commentariorum partem aliquid diligentiæ impendiſſe cognoverim. Spero autem, & utiliſſimum fore Opus his, qui ſtudiosè erga cognoſcendam hiſtoriæ hujus utilitatem ſunt animati. Iam quidem & antea cum Chronicos Canones componerem, Epitomen iſtorum Conſtitui: Verùm pleniſſimam illorum narrationem in præſenti adornare cogitavi.* Laudat quidem illius ſtudium, ſed non ſine gravi cenſura, Cardinalis Baronius Tom. III. Annalium Eccleſiaſticorum ad Ann. Chriſti 340. n. 41. p. m. 662. ed Mogunt. MDCI. *Vtinam vel exiguus ſaltem ejus excuſandi reliquus locus eſſet: quàm libentiſſimè Hiſtoricus ipſe pro Hiſtorico laborarem; cui (quod magnâ fiducia ingenuè*

genuè profitemur) *vel ea ex parte plurimùm Eccleſia Catholica debeat, quod rerum Eccleſiaſticarum quàm multa antiqua monumenta magno labore collecta, ſcribendo Hiſtoriam uſq; ad ſua Tempora,* FIDELITER POSTERIS TRADIDERIT,*terq; quaterq; felix, tot peregregiis lucubrationibus editis, niſi eum impietas Ariana tot tantiſq; ſordibus turpiter aſperſiſſet, & ante, perſecutionis tempore, lapſus à fide eundem tantoperè labefactâſſet.* Qui & n. 40. antecedente ſcribit, *quod appellari ipſe Euſebius Cæſarienſis meruerit à S. Hieronymo & aliis, Arianæ factionis ſignifer, propugnator apertiſsimus, & inter Arianos facilè Princeps: cujus & memoriam adeò execrata ſit Nicana Synodus ſecunda, ut planè eum jam defendere velle, nihil aliud exiſtimandum ſit, quàm Eccleſiam Catholicam impugnare.* Conſentiunt Baronio ejus Epitomatores Gabriel Biſciola p. m. 273. Ludovicus Aurelius Peruſinus p. m. 214. Cardinalis Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis p. m. 70. 71. Arianis illum annumerat hac ἐπικρίσει: *Quare mirum eſt, cur aliqui moderni Euſebium hunc tanto ardore defendere velint.* Nec diſſentit Carolus Molinæus apud Johannem Wolfium Tom. II. Lect. Memorabil. p. m. 610. D. Martinus Chemnitius in Oratione de lectione Patrum, ſive Doctorum Eccleſiaſticorum, præmiſſa Locis Theologicis edit. Francof. MDXCI. p. m. 5. de illo: *Quia verò apertiſsimus fuit propugnator Arrii* (*ut refert Hieronymus*) *& in laudibus atq; excuſatione Origenis totum conſumpſit librum, Gelaſius in cap. Sancta Romana, refert Hiſtoriam eius inter Apocrypha: quanquam legi illam velit. Sed Hieronymus dicit: Eccleſiaſticam pulcrè* Euſebius *Hiſtoriam texuit. Et Baſilius vocat eum ἀξιόπιςον. Et res ipſa oſtendit ſcriptum eſſe neceſſarium, cum illi Autores, unde ipſe ſumſit, interciderint.* Jacobus Gothofredus ad lib. 1. cap. 8. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Philoſtorgi Cappadocis (Cuius omnia ſcripta ex Bibliotheca quadam Hiſpanica magnis ſumptibus Regina Sueciæ ſibi comparavit, ut refert Autor Bibliographiæ Hiſtorico-Politico-Philologicæ Curioſæ edit. Coſmopol. MDCLXXVII) multis locis & ex Euſebio ipſo & aliis veterum ſcriptorum probare conatur, *eum fuiſſe, & poſt Synodum Nicenam quoque manſiſſe Arianum.* Richardus Montacutius, qui primus libros Euſebii contra Marcellum Ancyranum, ut & de Theologia Eccleſiaſtica, è tenebris erutos, & in linguam Latinam translatos divulgavit, Notiſque illuſtravit, non dubitat ſanè *illum adhuc poſt Concilium poſtulare propenſionis ad Arianiſmum.* Abrahamus Scultetus in Medull. Theol. Patrum Part. III. p. m. 4. ſtatuit, quod contra Arium *æternitatem Chriſti* ubique profeſſus ſit, *Coæqualitatem* autem *cum Patre* nunquam ſeriò crediderit: atque ea de cauſa ab Euſtathio & aliis pro Ariano ſit habitus. Et in Syntheſi Theologiæ Euſebianæ p. m. 162. eum neque Orthodoxum ſimpliciter, neque purum putum Arianum, ſed *Semi-Arianum* fuiſſe cenſet. Verum B. Athanaſius non diffitetur quidem Euſebium Arianæ hæreſi primò addictum, ſed eundem in Synodo Nicena reſipuiſſe

puiſſe ait. Cui ſententiæ ſubſcribunt Socrates lib. 1. Hiſtor. Eccleſ. cap. V. ubi agit de Synodo in Bithynia apud Nicæam habita, ac fide quæ ibidem edita erat p. m. 210. edit Gryn. Baſil. cIↄ Iↄcix. inter alia ſcribens: *Per idem tempus Euſebius cognomento Pamphilus, Epiſcopus Cæſareæ Palæſtinæ, in illo Concilio, cum pauliſper hæſitaviſſet, ſecumq; attentâ cogitatione expendiſſet, num illam de fide deciſionem deberet admittere, ſic tandem unà cum reliquis univerſis eam & approbavit, & ſubſcriptione ratam fecit: & populo, cui ipſe præerat, eandem ſcriptis proditam miſit, vocemq; conſubſtantiale illi interpretatus eſt, ne cujuſquam animo de ipſo iniiceretur ſuſpicio, quod in eo aliquantum hæſitaviſſet.* Qui & libro II. Cap. XVII. p. m. 236. 237. Apologiam pro Euſebio Pamphilo exhibet. Sic Sozomenus lib. 1. Hiſt. Eccleſ. Cap. XX. p. m. 421. edit. cit. *At Euſebius cognomento Pamphilus, primò paululùm hæſitavit: poſteà tamen, cum Formulam accuratius expendiſſet, eam ſua quoque approbavit ſententia.* Quorum opinioni calculum ſuum adiiciunt Joh. Trithemius, Abbas Spanhemenſis, de Scriptoribus Eccleſiaſticis p. m. 202. Centuriatores Magdeburgenſes Cent. IV. Cap. X. p.m. 906. D. Lucas Oſiander Epitom. Hiſt. Eccleſ. Cent. IV. lib. 1. Cap. XXXIV. p. m. 68. 69. D. Gerhardus in Patrologia, ſive de Primitivæ Eccleſiæ Chriſtianæ Doctorum Vitâ ac Lucubrationibus Opuſculo Poſthumo p. m. 194. Contra Baronium illum defendit D. Joh. Georgius Dorſcheus in Tunica Chriſti Inconſutili ex Pſalm. XXII. 19. & Joh. XIX. 23. explanata, cum confutatione Fabulæ de ejus aſſervatione apud Treviros §. 61. ſeqq. edit. Roſtoch. MDCLVIII. Contra Scultetum D. Abrahamus Calovius Tom. II. in Auguſt. Confeſſ. in Theologia Naturali & Revelata, de Decreto Synodi Nicenæ p. m. 19. ſeqq. Et in Confeſſione Martyrum p. m. 96. 97. Non vulgare illius Elogium legitur apud Sixtum Senenſem, Ordinis Prædicatorum, in Bibliotheca S. lib. IV. p.m. 244. 245. edit Francofort. MDLXXV. Cauſam, cur Cardinalis Baronius illum ubique ferè perſtringat, fuiſſe, *quod Donationis Conſtantini, cum tamen alias donationes & laudes recenſeat, non modò mentionem faciat nullam, ſed etiam fictam eſſe innuat, dum Conſtantinum non à Papa Romano, ſed Nicomedia baptizatum eſſe ſcripſit,* agnoſcunt Abrahamus Sculteus l. c. p. m. 2. Andreas Rivetus Critic. Sacr. lib. III. cap. II. p. m. 248. Degoreus Whear, in Academia Oxonienſi Prælector ſive Profeſſor Hiſtoriarum Camdenianus, in Relectionibus Hiſtoricis p. m. 219. 220. Joh. Chriſtophorus Meelführerus in Corona Centum Patrum & Doctorum Eccleſiæ p. m. 59. Reperitur Euſebii Hiſtoria inter Oxonienſis Anglicanæ Bibliothecæ MSS. Theologica, quorum mentionem facit Thomas Jameſius in Catalogo Univerſali Bibliothecæ Bodleianæ ſeu Oxon. anno 1620 ibid. evulgato. Inter MSS. Theologica Trajectinæ Bibliothecæ, quorum Catalogus anno currentis ſeculi octavo cum Univerſali Bibliothecæ Ultraje-

ctinæ

ſtinæ deſcriptione in lucem prodiit. Ut & in Indice MSS. Theologicorum Cardinalis Beſſarionis. Vide Virum de re literaria optimè meritum Theophilum Spizelium in Sacris Bibliothecarum Illuſtrium Arcanis Retectis p. m. 202. 296. 331. 315. ed. Auguſt. Vindelicorum anno CIↃIↃCLXVIII. Venetiis etiam apud D. Hurtadum, juxta Geſnerum in Biblioth. p. m. 226. Prodierunt ejus Opera' vitiis ſublatis correctiora & Novis Annotationibus illuſtrata, opera & ſtudio Jo. Dadræj, Pariſienſis Scholæ Doctoris Theologi in fol. Pariſiis anno 1581. Græcè cum interpretatione Jo. Chriſtophorſoni Coloniæ Allobrogum apud Petrum de la Roviere ann. 1612. cum MSS. collata, verſa & Notis illuſtrata cura Henrici Valeſii, Græcè & Latinè impreſſa Pariſiis in fol. ann. 1669. quæ optima eſt editio, recuſa Francofurti ad Moenum in fol. 1672. Alias editiones recenſet D. Gerhardus in Patrologia p. m. 195. De Cenſura Gelaſii ſcribunt Centuriatores Magdeburgenſes Cent. IV. Cap. X. p. m. 905. *Hiſtoriam Eccleſiaſticam Euſebii decreto ſuo propter rerum cognitiones neceſſarias Gelaſius ejus nominis Papa primus lectione dignam cenſuit ac probavit; Nam quod paulò poſt in eiuſdem Cenſura librorum & Autorum ſequitur, Hiſtoriam Euſebii Pamphili Apocrypham eſſe, ſine dubio ab Aſino aliquo inſertum eſt. Quomodo enim ſine intervallo, quaſi ſui oblitus, librum paulò ante à ſe probatum, mox rurſus improbaret?* Quod judicium non fuit ſaltem Centuriatorum, ſed ante ipſos Beati Rhenani apud Rivetum l. c. p. m. 250. Quamvis Melchiori Cano, Hiſpano, Primariæ Cathedræ in Academia Salmanticenſi Profeſſori primùm, poſt Epiſcopo Fortunatarum Inſularum, Ordinis Prædicatorum, in Locis Theologicis non videantur contrariæ hæ duæ ſententiæ, ſed ſic intelligendæ, *ut Hiſtoria Euſebii ſit Apocrypha, in eo quod Fabulas quaſdam Apocryphas, qualis eſt de Epiſtola Ieſu ad Abagarum, recitat, quam Gelaſius explodit, in eo quod Origenem laudat & Arianis favet. Alioquin his demptis, eſſe Hiſtoriam dignam, cui fides haberetur.* Vide Rivetum l. c. Scripſit idem *EVSEBIVS* libros IV. *de vita Conſtantini Magni*, ſive, ut habet inſcriptio in Bibliotheca Veneta S. Antonii inter MSS. Theologica, juxta Jacobum Philippum Thomaſinum, Patavinum, SS. Th. D. Epiſcopum Æmonienſem in Iſtriâ, libro de Bibliothecis Venetis MSS. publicis & privatis (quibus diverſi ſcriptores hactenus incogniti recenſentur) edit. Utini MDCL. apud Spizelium l. c. p. m 320. *de vita Conſtantini Regis.* Quorum equidem nec Hieronymus, nec Honorius inter Euſebiana mentionem faciunt, Jacobus Gothofredus Diſſert. in Philoſtorgum alterius alicujus Euſebii, non autem Cæſarienſis eſſe diſertè ſcribit. Nicephorus tamen lib. VI. Hiſtor. Eccleſ. Cap. XXXVII. p m. 290. noſtro Euſebio tribuit, qui quidem quinque libros eſſe dicit, ſed abſq; contradictione, cum dubio procul illis quatuor ceu quintum annumeret Conſtantini Imperatoris Orationem, quam ad San-

ctorum

Horum Cœtum perſcripſit. Idem cum Nicephoro ſenſit Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus in Bibliotheca, apud D. Dorſcheum in Exercit. ad Concil. Nicæni 1. διατύπωσιν de Cœna Dominica à Gelaſio Cyziceno commemoratam p. m. 3. Inter ſcripta Euſebii recenſet Gerhardus in Patrologia p.m. 195. Autorem indubitatum cenſet Gerhardus Mejerus in Bibliotheca Theologicâ contractâ lib. 1. Cap. 4. p. m. 35. *Vita Conſtantini M. diligentiſſimum Scriptorem* vocat Georgius Hornius in Hiſtor. Eccleſ. p. m. 81. Hos quoque libros perſtringit Baronius Præfat. in Annales Eccleſiaſticos ad Lectorem, quod nempe Euſebius *in rebus geſtis Conſtantini Auguſti, cujus vitam in gratiam Conſtantii Auguſti Arianorum Patroni conſcripſit, multa mentitus ſit.* Verùm mitius cenſet Johannes Jacobus Grynæus Præfat. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam, ubi inter alia: *Scripſit Euſebius de Conſtantini vita libros quatuor, non tam Hiſtoriam de illius vita & geſtis, quàm de laudibus Conſtantini (cui ſe familiarem fuiſſe & gratum, Euſebius tacitè gloriatur) & ejuſdem præclaris facinoribus Panegyricum, continentes. Xenophontis enim (qui Cyri* παιδείαν καὶ ἐγκώμιον *verius, quàm Hiſtoriam deſcripſit, ut boni Principis imaginem contemplandam proponeret) exemplum ſecutus Euſebius, quæcunq; fortiter, prudenter, piè cùm in Eccleſia tum in Republica Conſtantinus Magnus geſſit, ea literis & memoriæ mandavit. Etſi autem in ea narratione multa tragica Conſtantini facinora, ut Criſpi filii & Fauſtinæ conjugis cædem, non refert Euſebius, & multa ſua erga Imperatorem obſervantiæ, illiuſque erga ſe benevolentiæ tribuit: tamen optimi Principis vivum paradigma oculis ſubjecit, quod cum fructu Reges etiam (ſi qui his potius attendere mallent, quàm aliis) & Principes Potentiſſimi contemplari poſſunt.* In iſtis libris Sculteto l. c. p. m. 6. non *Hiſtoricum*, ſed *Oratorem* agere videtur. Unde Photius ἐγκωμιαστικὴν τετράβιβλον illud Opus nuncupat. Vide Degoreum Whear l. c p.m. 216. Facit idem Euſebius lib. V. Hiſt. Eccleſ. Cap. XIX. mentionem *Commentariorum, quos de priſcis Martyribus congeſſit.* Verùm iſte liber ad manus recentiorum ſeculorum non pervenit. Hinc cum Commentarium hunc à Pontifice Gregorio ſibi Româ tranſmitti peteret Eulogius Epiſcopus Alexandrinus, Gregorius lib. VII. Epiſt. XXIX. non repertum Romæ in Archivo, neq; in Bibliothecis, reſcripſit. Vide Baronium Tom. VIII. ad Annum Chriſt. 598. n. 7. Edidit quoque Euſebius Chronicon, de quo Melchior Canus ait apud Rivetum l. c. p. m. 251. *Magnum fuiſſe omninò laborem, variam penè & incredibilem lectionem, ac grave prorſus in lectionis varietate judicium. Nec ſcire ſe, an quiſquam alius inter Eccleſiæ ſive Latinos ſive Græcos Autores, quamvis ſumma vi, ope, atq; opera eniteretur, præſtantiora poſſet nobis temporum monumenta relinquere.* De quo etiam Baronius Tom. V. ad Annum Chriſti 395. n. 41. Cui Operi, quod deſcribentium incuriâ multis locis vitiatum eſſet, feliciſſimè & magna cum cura medicam adhibuit manum Illuſtris Joſephus Juſtus Scaliger, Julii Cæſaris à Bur-

den

den filius in profundæ eruditionis Theſauro Temporum, quem Lugduni Batavorum excudit Thomas Baſſon ſumptibus Comelinorum cIↃIↃcvi. in quo lectu digna ſunt Prolegomena ad Nobiliſsimum & Ampliſsimum Virum Jacobum Auguſtum Thuanum, Regium in Sanctiore Conſiſtorio Conſiliarium, & in Ampliſsima Curia Pariſienſi Præſidem. Quo nihil *excellentius, aut ſimile etiam habere interiores literas*, ingenuè faſſus eſt Gerhardus Joannes Voſſius. Quod Opus ſecunda cura emendatum & auctum Autor morti vicinus Franciſco Gomaro commiſit, ut Editionem ſecundam procuraret, teſte Riveto l. c. idq́ue juxtà Joh. Henricum Hottingerum in Bibliothecario Quadripartito lib. II. Cap. V. p. m. 315. Genevæ prodiiſſe videtur Anno Chriſti 1629. Auctius verò Amſtelodami Anno 1658. accurante Alexandro Moro, Eccleſiaſte Pariſienſi. De quo Opere Bibliographia Hiſtorico-Politico-Philologica Curioſa duobus abhinc annis edita: *Euſebii Chronicon cum pretioſiſsimis Notis edidit Scaliger, hocque Opus inter reliqua eminet. Poſt eum Arnoldus Pontanus rurſum edidit.* Verùm, ut obiter moneam, errorem committit, quisquis ſit illius Bibliographiæ Autor. Arnoldus enim (non Pontanus, ſed) Pontacus è Nobili Pontaciorum familiâ, Vazatenſium Antiſtes, antequam Euſebium ſuum ederet Scaliger, mortalitatem exuit, quod ex ipſo patet Scaligero. Sic enim in illis, quæ addenda Animadverſionibus in Chronicum Latinum p. m. 273. *Quum hæ notæ jam propè ad exitum perducta eſſent, Chronicon Euſebianum τȢ μακαρίτȢ Dn. Arnoldi Epiſcopi Vaſatenſis, viri doctiſsimi, & humaniſsimi, miſſu ipſius accepimus, quod licet ea animi alacritate à nobis exceptum eſt, quam & Auctoris virtus, & operis meritum exigebat, tamen hoc noſtrum gaudium proprium eſſe repentinus de ejus viri morte Nuncius non paſſus eſt &c.* Contrarium teſtatur maximi nominis Philologus Iſaacus Caſaubonus Epiſtola cccxciii. p. m. 448. edit. Grævian. Brunſuig. MDCLVI. Et Epiſtol. ccccxcvi. p. m. 557. Contrarium etiam docent ipſæ editiones, dum Arnoldi Pontaci Burdigalæ Anno 1604. Scaligeri verò primùm Lugduni Batavorum Anno 1606. in lucem prodierunt. RUFFINUS, qui Sixto Senenſi lib. 4. Biblioth. S. p. m. 370. dicitur *Toranus*, D. Johanni Andreæ Quenſtedt in Dialogo de Patriis Illuſtrium doctrina & ſcriptis Virorũ p. m. 270. *prænomine Tyrannius* vel *Torannius*, Geſnero in Bibliothec. p. m. 737. *Tarmus*, Aquilejenſis Preſbyter, Euſebii Hiſtoriæ, quam è Græco in Latinum Sermonem transtulit, duos addidit libros, ab initio Hæreſis Arianæ & Concilio Niceno ad Theodoſii uſq́ue Imperatoris mortem & Annum Chriſti 400. Qui juxta Cl. Joannem Hallervordium de Hiſtoricis Latinis Spicilegio p. m. 161. MSS. reperiuntur Patavii in Bibliotheca S. Juſtinæ. Gennadio de Viris Illuſtribus p. m. 141. Honorio de Luminaribus Eccleſiæ p. m. 373. dicitur *non minima pars Doctorum Eccleſiæ.* Hieronymus Epiſtola V. ad Florentium cum *Fratrem ſuum individuâ germanitatis Charitate*

connexum ſalutat. Sed hæc amicitia quoties depoſita, quoties & quomodo iterum reconciliata, tandem in acerbiſſimum odium mutata fuerit, ex Hieronymi ipſiusq; Ruffini Epiſtolis, Invectivis & Apologiis videre licet. Hinc *Hieronymi æmulus* audit Bellarmino de Scriptoribus Eccleſiaſticis p. m. 115. Hottingero in Bibliothecario lib. 11. Cap. 4. p. m. 299. Baronius Tom. IV. ad Annum Chriſti 393. n. 24. ſcribit, *ſecutum alienos Ruffinum terga vertiſſe amico, nulla prorſus alia cauſa compulſum, quàm ut adverſantes Catholicæ Veritati Origenis errores ſalvos ſervaret atq; propugnaret.* Ad Annum Chriſti 397. n. 1. ſtatuit *hæreſes Origenis ſub pietatis involucro per Ruffinum è Palæſtina cum Melania Romam redeuntem illatas in urbem, propinataſq; aureo calice Babylonis, antequam inebriarentur illis fideles, detectas atq; exploſas.* Ad Ann. Chriſt. 400. n. 24. notat, *quòd trium annorum ſpatio tres adverſus eundem S. Hieronymum libros elucubrarit, ſed & quod ſciret cum potentiſſimo Adverſario ſibi eſſe certamen, eoſdem tres libros à ſe conſcriptos ſic edidiſſe, ut tamen magna cautela curarit, ne in manus ejuſdem S. Hieronymi pervenirent, ſed tantummodò amicis illi crediti, ſic per amicorum manus per Italiam vagarentur, ut non quidem ſcripti, ſed ſermone multorum ferrentur.* Et n. 31. dicit *fuiſſe Romæ tunc temporis in duas partes ſciſſa Chriſtiani Populi ſtudia, aliorum ſcilicet Ruffino faventium, ſanioris verò partis S. Hieronymo inhærentium.* Ad Ann. Chriſti 402. n. 36. *Ruffinum Hieronymus ſumma eloquentiæ vi exagitat, deprimit, deridet interdum, ſubſannat, ſcommatibus urget, dicteriis deludit, accommodatiſq; ad mores hominis nominibus appellat, nominans eum ſæpè Grunnium, alludens nimirum ad illum Grunnium Caracottam, cujus Teſtamentum porcelli ſolerent cachinnantes pueri in Scholis ludibrio riſuq; proſequi: idcircò id ipſe, quod Ruffinus ſcriberet res nullius pretii: ſicut & cum Alecto nominat ob furorem, Luciumq; Lavinium aliquando, & Aſinium Pollionem, ob æmulationem, quod alter ipſorum Terentium, Ciceronem alter fuerit æmulatus: itidemq; cum aliquando Calphurnium ob dolos & fraudes &c.* Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis p. m. 115. de illo: *Ruffinus meritò notatur erroris à Gelaſio Papa Cap. Sancta Romana, diſtinct. 15.* Sed hoc factum, ut rectè obſervat Meelfuhrerus l. c. p. m. 125. *quià Canonem Concilii Niceni explicat, ut primatus Papæ labefactetur. Non aliam enim poteſtatem attribuit Romano Epiſcopo, quam Alexandrino, in ſuburbanas & vicinas Eccleſias Italicas.* Quod etiam liquet ex ipſo Baronio Tom. III. ad Ann. Chriſt. 325. n. 133. 134. Gennadius de Illuſtribus Eccleſiæ Scriptoribus Cap. XVII. p. m. 142. 143. *Sed & obtrectatori Opuſculorum ſuorum* (Hieronymo) *reſpondit duobus voluminibus, arguens & convincens ſe Dei intuitu, & Eccleſiæ utilitate auxiliante Domino ingenium agitaſſe, illum verò æmulationis ſtimulo incitatum, ad obloquium ſtylum vertiſſe.* Trithemius de Scriptoribus Eccleſiaſticis p. m. 214. 215. Ejus (ſc. Ruffini) *ſcripta licet multa ſint, tamen inter Apocrypha computantur 15. diſt. Sancta Romana, propterea quod in Sanctiſſimum Virum Hieronymum ſcripſerit Invectivas Epiſtolas, ſicut ex earum*

lectione

lectione intelligi poteſt. Sed poſteà in concordiam dilectionis fraternæ redeuntes, facta ſunt Opuſcula Ruffini Authentica, in quantum Hieronymi dictis non fuerint contraria. Judicium de illius Hiſtoria vide apud Baronium Tom. V. ad Ann. Chriſti 395. n. 41. An rectè ipſi imputârit Origeniſmum Hieronymus, multi dubitant. Centuriatores Magdeburgenſes Cent. IV. Cap X. p. m. 1203. putant *hoc factum nimis languida, ut videtur, ratione: eò nimirum, quod Origenis libros in Latinum ſermonem tranſtulerit: cum tamen nec defenſorem nec aſſertorem Origenis, neq; primum ſe ejus interpretem eſſe liquidò affirmet in Apologia pro fide ſua ad Anaſtaſium, neq; arbitrio ſuo eam Verſionem ſeſe inſtituiſſe, ſed ad Fratrum preces, indicet. In præfatione verò in libros Origenis ſignificet ſe. quæ erronea atq; inter ſe contraria & diſcrepantia in Origene fuerint, non protuliſſe.* Confer D. Gerhard. in Patrologiâ p. m. 335. D. Lucam Oſiandrum Cent. IV Epit. Hiſt. Eccleſ. lib. IV. Cap. XX. p. m. 463. RUFFINUM excipit SOCRATES SCHOLASTICUS, Byzantinus, Trithemio de Scriptoribus Eccleſiaſticis p. m. 226. *Vir doctus & eloquens, Hiſtoriographus inſignis & maximarum rerum experientia præclarus.* Vixit ſub Arcadio Imperatore, ejuſque filio Theodoſio II. Scripſitque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libros VII. à Conſtantino M. uſque ad Theodoſii Junioris ævum, qui juxta Geſnerum in Biblioth. p. m. 760. MSS. extant Venetiis. Scopum ſuum explicat ipſemet lib. II. Cap. I. ſcribens. *Quanquam Ruffinus, qui Hiſtoriam Eccleſiæ Latinis literis mandabat, in temporum propterea aberravit ordine, quod diſcrimina, in quæ devenerat Athanaſius, poſt mortem Imperatoris Conſtantini accidiſſe arbitratur: ignarus nimirum cum aliarum rerum complurium quas pertuliſſet, tum exilii, quod in Gallia perpeſſus eſſet: tamen nos ejus opinionem & ſententiam, quod ad rerum geſtarum attinet narrationem, antea ſecuti, primum & ſecundum Hiſtoriæ noſtræ librum conſcripſimus. A tertio autem ad ſeptimum uſq; nonnulla ex ejuſdem Ruffini libris petendo, alia ex aliis diverſis Scriptoribus excerpendo, quædam deniq; ex ipſis hominibus, quibus adhuc vita ſuppetit, audiendo, Hiſtoriam omnibus ſuis partibus explevimus. Poſteà tamen cum fortè fortunâ incideremus in eos Athanaſii libros, in quibus tum de ſuis ipſe miſeriis conqueritur, tum quâ ratione Euſebianæ factionis Calumniâ in exilium miſſus fuiſſet, exponit, nobis pro certo perſuaſum videbatur, ei qui iſtis afflictatus fuiſſet, aliuſq; qui res geſtas ipſi coram aſpexiſſent, multò potius fidem adhibendam, quàm his qui nitebantur conjecturâ, & ob eam cauſam in errorem incurrebant. Quin etiam varias nonnullorum Epiſtolas, qui id temporis vixerunt, ſedulò perlegendo, veritatem (quantum fieri poteſt) inveſtigamus. Quapropter & res geſtas in primo & ſecundo noſtræ Hiſtoriæ libro commemoratas, altius coacti ſumus repetere: & eas in quibus Ruffinus neutiquam à veritate deflexit, adjecimus.* Quousque Hiſtoriam ſuam produxerit, lib. VII. Cap. XLVII. circa finem indicat: *Hic ſeptimus liber ſpacium triginta duorum Annorum continet: tota autem Hiſtoria in ſeptem libros partita, annos Centum quadraginta complectitur. Quæ orditur à primo anno Ducenteſimæ Primæ Olympiadis, in quâ Conſtantinus Imperator declaratus fuit: definitq; ſecundo*

cundo anno ducenteſimæ vigeſima octava Olympiadis, ad decimumſeptimum Conſulatum Imperatoris Theodoſii. Baronius Tom. II. ad Annum Chriſti 255. n. 9. *ſectâ Novatianum* vocat. Tom. IV. ad Ann. Chriſt. 391. n. 19. ſcribit, *quod Novatianus ſuos Novatianos excuſet Epiſcopos.* Tom. V. ad Ann. Chriſt. 402. n. 18. *Ex his planè intelliges,* (ubi agit de palinodia Methodii) *Lector, Socratem Novatianum aquè fuiſſe etiam Origeniſtam, & haud quidem remiſſum, vel ſegnem, ſed audaciſsimum, utpote novæ inventorem Apologia Methodii nomine exarata. Hac ingerimus, quod plurimi intereſt in veritate hiſtorica diſquirenda affectus Auctoris expendere.* Et ad Ann. Chriſt. 415. n. 40. *Monendus es Lector Hiſtoriam à* (Socrate) *Novatiano homine in Cyrillum* (Alexandrinum Epiſcopum) *parùm aquo ob pulſos (ut dictum eſt) Alexandriâ Epiſcopos Novatianos, ſcriptis perinfenſo animo traditam eſſe: ut non mireris, ſi ab eodem Auctore audias Cyrillum ſapè perſtringi, & in crimen vocari ſcelerum patratorum. Cautè igitur à Socrate ſcripta perlege, cum de Cyrillo indigna prorſus offendis.* Ad Ann. Chriſt. 419. n. 108. 109. notat, *quod Novatianus miracula falsò tribuat Novatianis.* D. Oſiander Epit. Hiſt. Eccleſ. Cent. V. lib. 1. Cap. 26. p. m. 109. ita de illo: *Quamvis in ſcribenda Hiſtoria Eccleſiaſtica elegantiam ſermonis non affectarit: tamen in id diligenter incubuit (quoad ejus fieri potuit) ut vera & certa ſcriberet: Evagrius tamen eum oſcitantia (ex parte) arguit* &c. *Quidam eum à Novatianorum ſecta non abhorruiſſe crediderunt.* Confer Centuriatores Magdeburgenſes Cent. V. Cap. X. p. m. 1217. Iiſdem cum Socrate temporibus vixit THEODORETUS (quem Trithemius Theodoricum nominat) Cyri (quod Syriæ eſt oppidum, à Conditore ſuo, primo Perſarum Rege ſic dictum) Epiſcopus, octingentarum Eccleſiarum Paſtor (licet juxtà D. Gerhardum in Patrologiâ p. m. 418. alii Syrum natione, Epiſcopum in Perſiâ fuiſſe ſtatuant) de quo Gennadius Cap. LXXXIX. p. m 194. 195. *Sunt & ejus decem Hiſtoria Eccleſiaſtica libri, quos imitatus Euſebium ſcripſit, incipiens à fine librorum Euſebii, uſq; ad ſuum tempus, id eſt, à Vicenalibus Conſtantini, uſq; ad Imperium Leonis Senioris, ſub quo & mortuus eſt.* Sic quoque decem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libros ipſi tribuit Honorius p. m. 291. Verùm quinque tantùm hodiè ſuperſunt, quorum *libro primo*, verba ſunt D. Johannis Pappi in Epitome Hiſtor. Eccleſ. p. m. 5. edit. Francofurt. MDCLXI, cum Auctariis & Notis Viri Cl. M. Henrici Kippingii, *Hiſtoriam Eccleſia ſub Conſtantino Magno exponit: ſecundo, ſub Conſtantio: tertio, ſub Iuliano Apoſtata: quarto, ſub Ioviniano, Valentiniano & Valente: quinto, ſub Gratiano & Theodoſio magno, Arcadio, & initio Theodoſii Iunioris.* De illo Baronius Tom. IV ad Ann. Chriſt 378. n. 40 *Vulgatum eſt omnibus, Theodoretum malè cæpiſſe, miſericordia verò Domini benè conſummaſſe; eundemq; veracem in reliquis Hiſtoricum comprobari, in his verò, quibus privato favit affectu, indigere Cenſura, prout prudens Lector intelliget.* Tom. V. ad Ann. Chriſt. 427. n. 29. *Verùm hic conſidera ipſum Theodoretum ex immenſis laudibus, quibus ornat Theodorum Mopſveſtenum nefandiſſimum hæreticum, planè ſe ejus fuiſſe Communio-*

nis, haud levem ſuſpicionem concitaſſe : imnio adeò ſtudioſus ejus extitit, ut credendi occaſionem dederit, quod ipſe de eodem Theodoro nomen derivando dici voluerit Theodoretus. Ad Ann. Chriſt. 430. n. 44. *Theodoretus Cyri Epiſcopus laudator (ut vidimus) Theodori Mopsveſteni, ex quo ſibi haud levem maculam ſuperinduxit.* Neſtorio faviſſe, ex Epiſtola ejus ad Irenæum probat Baronius l. c. n. 58. Quæ extat ordine decima ſexta ex centum quinquaginta ſeptem ejus Epiſtolis, quas Græcè ſcriptas Codex continet Vaticanus, in Latinum autem vertit Fridericus Metius. Patet id ex ipſius Theodoreti litteris de rebus geſtis Conſtantinopoli, quas habet Baronius ad Ann. Chriſt. 431. n. 165. 166. Et ex litteris Chalcedone datis ad Alexandrum Hierapolitanum Epiſcopum ibid. n. 168. ubi profitetur, *quod, magno licet in periculo irruentium Monachorum & aliorum Orthodoxorum ad lapidationem (ut ait) uſq; graſſantium verſaretur : nihilominus non prætermiſerit adverſus Synodum ac potiſſimùm contra Cyrilli Capitula concionari, Neſtorianos Conſtantinopoli Chalcedonem ad ſe pertrahere, & illis apertè Neſtorii dogmata propinare.* Hinc ad Ann. Chriſt. 431. n. 182. dicitur *Neſtorii Patronus, & Catholicorum dogmatum tunc temporis oppugnator.* Verùm, eodem teſte Baronio, idem Theodoretus poſteà reſipuit, & Orthodoxis ſeſe conjunxit. Vide prolixè ad Ann. Chriſt. 436. n. 10. 11. In Epiſtolâ ad Euſebium Ancyræ Epiſcopum fatetur ipſe Theodoretus, *ſe eſſe omninò profeſſione Catholicum, nec quicquam ſapere, quod ſinceræ fidei adverſaretur*, apud Baron. Tom. VI. ad Ann. Chriſt. 443. n. 10. ſeqq. Et ad Ann. Chriſt. 448. n. 12. ſeqq. legitur ejus Epiſtola ad Nomum Conſulem, ſeu potius Conſularem ſive Exconſulē, ubi confutat Adverſariorum calumnias. Prohibitus quidē fuit Theodoſii Imperatoris Reſcripto pro Synodo Epheſi cogendâ ad Dioſcorū Epiſcopum Alexandrinum, Synodum accedere, juxta Baron. ad Ann. Chriſt. 449. n. 24. 25. Admiſſus tamen fuit in Synodum Chalcedonenſem, cumque dixiſſet anathema Neſtorio, omnium Epiſcoporum ſententia in priſtinam ſedem eſt reſtitutus, de quo idem Baronius ad Ann. Chriſt. 451. n. 73. & n. 125. Poſt obitum Theodoreti tamen, illum adhuc ſibi vendicare conabantur Neſtoriani, ut refert Baronius Tom. VII. ad Ann. Chriſt. 520. n. 67. *Hoc item anno, cum ubiq; Eutychiana hæreſis damnaretur, pœnitenteſq; Eutychiani hæretici ad Eccleſiam Catholicam paſſim revocarentur : relatum eſt ad Iuſtinum Imperatorem accidiſſe quid in Syriâ, quòd Orthodoxis haud mediocrem conſlavit invidiam. Quod enim tanta fidei Orthodoxæ adverſus Eutychianos Victoria non ſolùm Catholici, ſed Neſtoriani hæretici è diverſo pugnantes gaviſi eſſent : iidem Neſtoriani contra Eutychianos erexêre Trophæa, & duxêre Triumphum, cum videlicet ſolemni ritu Theodoreti Cyri Epiſcopi, qui aliquando Neſtorio fauiſſet, ſuper currum ponentes imaginem, eandem Pſalmorum canticis introduxerunt Cyrum Civitatem, ubi & memoriam celebrarunt Neſtorii, ejuſq; Magiſtrorum Diodori Tarſenſis, atq; Theodori Mopsveſteni, nec non Neſtorii martyris titulo decorati. Quòd ubi perlatum eſt ad Iuſtinum Imperatorem, adverſus eos ejuſmodi reſcriptum dedit, quod recitatum*

mutat in quinta Synodo, &c. De illo Rivetus Critici Sacri lib. IV. Cap. XXI. p. m. 444. 445. *De Tertulliano dixit Hilarius, conſequens error hominis detraxit ſcriptis probabilibus autoritatem. De Theodoreto aliter ſentiendum, qui etſi initio nutaverit, plus nimio favens Præceptori Theodoro Mopſveſtiæ Epiſcopo, & poſtea condiſcipulo Neſtorio, à cujus partibus aliquandiu ſtetit, ſcriptis etiam Antitheſibus contra Cyrilli Anathematiſmos: errorem tamen revocavit, & in caſtris Eccleſiæ Neſtorium deteſtatus, contra Eutychianos acerrimè pugnans, omnem hæreſeos culpam diluit, & ſcripta ſua Eccleſiæ probavit. Ejus tamen autoritatem elevare conatur Gregorius de Valentia lib. 2. de Tranſubſt. cap. 7. ex eo quod de quibuſdam erroribus in Concilio Epheſino notatus fuit, nempe ut hâc rimâ elabatur, dum negare non poteſt, Theodoretum docuiſſe ſubſtantiam panis manere in Euchariſtiâ: quod tamen ſcripſit in dialogis illis, quibus magna cum laude hæreticos Eutychianos proſtravit.* De Theodoreti certaminibus, ſanctimonia, afflictionibus, agunt Centuriatores Magdeburgenſes Cent. V. Cap. X p. m. 1009. ſeqq. De Appellatione illius ad Leonem Pontificem inter ſe diſceptant Philippus Mornæus, Pleſſiaci Marliani &c. Dominus, Chriſtianiſsimi Regis in Sacro Conſiſtorio Conſiliarius, Cataphractorum Turmæ Ductor, Salmurienſis Ditionis Præſes, Domus Regiæ Navarrenæ Præfectus, in Myſterio Iniquitatis p. m. 73. 74. edit. Salmur. per Thomam Portæum MDCXI. Et Leonardus Coquæus, Ord. Eremitarum S. Auguſtini, SS. Theol. D. Sereniſſimæ Chriſtianæ à Lotharingia, Magnæ Etruriæ Duci à Sacris Confeſſionibus, in Anti-Mornæo Tom. 1. p. m. 225. 226. edit. Mediolan. ſumptibus Hæredum Pacifici Pontii, & Joannis Baptiſtæ Piccalei, Impreſſorum Archiepiſcopalium MDCXVI. Elogium non contemnendum ipſi tribuit Sixtus Senenſis l. 4. Bibl. S. p. m. 327. 328. De ſtylo illius vide judicium Photii apud Degoreum Whear p. m. 216. Idem Hiſtoriæ Spatium libris IX. percurrit HERMIAS ſive (ut Joh. Langus in Translatione Hiſtoriæ Eccleſ. Nicephori l. 1. c. 1. p. m. 23. Latinè nominat) *MERCVRIVS SOZOMENVS SALAMINIVS*, D. Quenſtedt in Dialogo p. m. 431. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ eruditus Scriptor*, quem aliàs cum Socrate, quod eodem vixerint tempore, nempe circa Ann. Chriſt. 440. conjungit D. Gerhardus in Patrologia p. m. 434. Hiſtoriam ſuam, quam Geſnerus in Biblioth. p. m. 762. *inſigne* vocat *Opus*, conſecravit Theodoſio Juniori ſive Minori, quem, poſtquàm ejus pietatem, fortitudinem, temperantiam, juſtitiam, magnificentiam, animi celſitatem planè regiam, Imperioque dignam commendaſſet, his alloquitur verbis: *Quapropter mihi Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſcribenti, neceſſarium videbatur tibi his omnibus de cauſis eam dedicare. Nam cui iſtud opus, in quo ſum perſecutus tum piorum virorum virtutem, tum res quæ in Eccleſia univerſa obtigerint: tum in quot hoſtium manus incidens, ad te & majores tuos, tanquam ad portum confugerit, rectius offerre queam? Agito igitur, Imperator literatiſsime, & cum aliis omnibus prædite viritutibus, tum pietate vel maximè, quam initium eſſe ſapientiæ, ſacræ perhibent literæ, accipe à me hanc Hiſtoriam:*

eamq́; tum expende, tum tuis vigiliis accuratoq́; judicio vel addendo aliquid, vel auferendo, perpurga. Neq́; quiſquam eſt, qui ſit poſt tuam cenſuram ei vel digitum admoturus. Sum autem Hiſtoriam exorſus à Criſpo & Conſtantino Cæſaribus, jam tertiùm Coſſ. eamq́; ad decimum ſeptimum Conſulatum tuum perduxi. Atq́; præclarè me facturum videbar, ſi totum Opus in novem libros diſtribuerem. Primus igitur & ſecundus res in Eccleſiis regnante Conſtantino geſtas continent. Tertius & Quartus, quæ in eiſdem regnantibus Conſtantini filiis, acciderint, complectuntur. Quintus & Sextus, habent ea, quæ temporibus tum Iuliani, Conſobrini filiorum Conſtantini, tum Ioviniani, tum Valentiniani & Valentis. In Septimo & octavo, commemorantur illa quæ ſunt ſub imperio Gratiani & Valentiniani fratrum, uſq́; ad divinum Theodoſium avum tuum Imperatorem declaratum, & uſq́; ad regnum etiam Arcadii Patris tui omnium ore celebrati: qui cum ſanctiſsimo avo tuo Honorio, in paternum Imperium & in ditionis Romanæ gubernationem ſucceſsit, adminiſtrata. Nonus liber, verſatur in rebus geſtis à tuâ diviniſsima ſanctiſsimaq́; Celſitudine narrandis: cui Deus non ſolùm perpetuam animi tranquillitatem, expertemq́; cujuſq́; moleſtiæ concedat, verùm etiam, ut hoſtes ſuperet, omnes ſibi ſubjiciat, Imperiumq́; pium nepotibus transmittat, largiatur, annuente Chriſto: per quem, & cum quo, ſit Deo Patri, unà cum Spiritu Sancto, Gloria in omnem æternitatem: Amen. Gravis de illo legitur Cenſura Gregorii Pontificis libro VI. Epiſt. XXXI apud Leonardum Coquæum in Anti Mornæo Tom. I. p. m. 211. *Ipſam Hiſtoriam* (Sozomeni) *Sedes Apoſtolica ſuſcipere recuſat, quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopſveſtiæ nimium laudat, atq́;, uſq́; ad diem obitus ſui, magnum Doctorem Eccleſiæ fuiſſe perhibet. Reſtat ergò, ut ſi quis illam Hiſtoriam recipit, Synodo, quæ piæ memoriæ Iuſtiniani temporibus de tribus capitibus facta eſt, contradicat. Qui verò huic contradicere non volet, illam Hiſtoriam neceſſe eſt, ut repellat &c.* Verùm à Melchiore Cano jamdudum reſponſum, *nihil tale apud Sozomenum reperiri de Theodoro Mopſveſtia: Et Gregorium memoriâ lapſum, dum pro Theodoreto Sozomenum ſcriberet; nam Theodoreti verba ſunt illa, quæ Gregorius retulit.* Vide Degoreum Whear l. c. p. m. 228. Coquæus l. c. non vult Hiſtoriæ Sozomeni omnem detrahi auctoritatem. Baronius quidem Præfatione in Annales Eccleſiaſticos ad Lectorem, *Sozomenum ſectæ Novatianorum fuligine tinctum* notat. Quod nec diffitetur D. Quenſtedt l. c. Idem Baronius Tom. V. ad Ann. Chriſt. 400. n. 52. *Socratem & Sozomnenum erga Origeniſtas procliviores eſſe* cenſet. Ad Ann. Chriſt. 439. n. 39. tamen graviorem Gregorii cenſuram quaſi corrigit: *Socrates & Sozomenus licet Novatiani eſſent, & in iis, quæ ad ipſorum dogmata ſpectant, privato ſtudio plura mentiti eſſe reperiantur, dum præſertim falſa miracula ſuis tribuunt Novatianis: tamen majoris fidei apud Gelaſium Romanorum Pontificem hos fuiſſe, quàm Euſebium Cæſarienſem, inde poſſumus exiſtimare, quod Euſebii Hiſtoriam rejicit inter Apocrypha, Socratis verò & Sozomeni nequaquam. Verùm non ob res geſtas ab Euſebio narratas, ſed ob ſparſos in eis ab eo olim*

Arianiſmos

Arianiſmos, ex cenſurâ certum eſt, Euſebii Hiſtoriam eſſe notatam; cum tamen Novatiani divinitatis filii Dei eſſent (ut vidimus) conſtantiſsimi Defenſores, atq; ob eam cauſam diutius ab Imperatoribus & Epiſcopis tolerati. Hinc n. 40. ſcribit, *non recipi ab Eccleſiâ Romanâ Sozomenum Theodori Mopſveſteni laudatorem: quem qui recipiat, Quintæ Synodo, in qua ille damnatur, refragari ſe ſentiat. In reliquis autem quæ vera dicit, quomodò potuit ab Eccleſia Romana non recipi?* An Sozomeni Hiſtoria ſit præferenda Hiſtoriæ Socratis, necne? mentem ſuam aperit idem Baronius l. c. n. 41. *Cæterùm quod ad eamdem Sozomeni Hiſtoriam pertinet, majoris illa æſtimationis apud Photium fuit, quàm Socratis: ſed nobis certè commodior Socratis Hiſtoria cecidit, quâ per Conſules more majorum tempora diſtinguuntur.* Ex *SOCRATE*, THEODORETO & *SOZOMENO* unum corpus confecit ſive *MARCVS*, ut vocatur Geſnero in Bibl. p. m. 565. ſive, juxta D. Quenſtedt p. m. 433. Degoreum Whear p. m. 222. Hallervord. in Spicileg. p. m. 129. *MAGNVS AVRELIVS CASSIODORVS*, æqualis Dionyſii Abbatis, cognomento Exigui, qui Cyclum Paſchalem ſcripſit, item Aratoris, qui Actus Apoſtolicos exaravit carmine &c. qui Sixto Senenſ. l. 4. Bibl. S. p. m. 228. *Vir Clariſsimus, Theodorici Regis Italiæ Epiſtolarum Magiſter, Romanæ Vrbis Senator & Conſul, cum relicto ſæculo, Monachus & Abbas Monaſterii Ravennatenſis factus eſſet, omnes ſæculares diſciplinas, ac maxime Eloquentiam in obſequium Chriſti convertens, multa de divinis Scripturis interpretatus eſt &c.* Hinc Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quam *TRIPARTITAM* vocant, libri XII. prodierunt, qui teſte Hallervordio l. c. MSS. reperiuntur Venetiis in Biblioth. SS. Joannis & Pauli. De illo ſcribit Sigebertus Gemblacenſis de Viris Illuſtribus Cap. XL. p. m. 329. *Epiphanium Scholaſticum, qui tres, Theodoreti, Socratis & Zozomeni, Hiſtorias in unam Tripartitam Hiſtoriam redegit, de Græco in Latinum tranſtulit.* Verùm Caſſiodorum non de Græco in Latinum vertiſſe Epiphanium, ſed potius Epiphanium Scholaſticum, tres iſtos Hiſtoricos, Caſſiodoro id poſtulante, Latinè tranſtuliſſe, ipſe teſtatur Caſſiodorus in Præfat. ſcribens: *Hanc igitur Hiſtoriam Eccleſiaſticam, quæ cunctis Chriſtianis valdè neceſſaria comprobatur, à tribus Græcis Autoribus mirabiliter conſtat eſſe conſcriptam. Vno ſcilicet Theodoreto, venerabili Epiſcopo, & duobus diſertiſsimus viris, Sozomeno & Socrate, quos nos per Epiphanium Scholaſticum Latino condentes eloquio, neceſſarium duximus eorum dicta deflorata in unius ſtyli tractum (Domino juvante) perducere, & de tribus Autoribus unam facere dictionem.* Suffragantur nobis Trithemius de Script. Eccleſ. p. m. 217. Bellarminus p. m. 165. D. Gerhardus in Patrologia p. m. 466. Vitam illius deſcribit Baronius Tom. VII. ad Ann. Chriſt. 562. n. 5. ſeqq. Succinctè delineat Joannes Ferrerius in Bibliothecâ: *Magnus Aurelius Caſsiodorus Ravennas antiquæ nobilitatis Vir inſignis, & ſuo ſeculo admodum eruditus, ingenioq; ſingulari ornatus, ob ejus doctrinam Præceptor Theodorico Gothorum Regi primùm traditur. A quo deinde per omnes dignitatis gradus ſublevatus eſt. Senator etenim creatur, Vir quoq; Clariſsimus & Illuſtris, atq; Sacri Palatii Quæſtor, tum*

Conſul

Conſul Ordinarius tum Magiſter Officiorum, Patricius item Romanus, quæ ſuprema erat dignitas. Fuit & poſt hæc Præfectus Prætorio, ac totius Italiæ Nomophylacis honorem graviſſimè ſuſtinuit. Cum itaq; per omnes dignitates nullo faſtu tranſiiſſet, clariſſimorumq; Virorum, Conſulum & Senatorum fortunas valdè afflictas ob Gothorum intemperiem conſpiceret, abjectis muneribus publicis Chriſto Domino ſe devovit. Factusq; Monachus & Abbas Cœnobii Ravennatis, ab humanis diſciplinis diſcedens, ſe totum divinis Scripturis, & contemplationi dedidit, vitamq; felicem ad annos nonaginta amplius traduxit. Vixit autem ſub Anaſtaſio Imperatore, uſq; ad Juſtinos, ſeniorem atq; juniorem ſcilicet ad Annum Domini 575. Hæc Ferrerius, qui varia ejus monimenta recenſet, inter cætera addens: *Hiſtoriam Tripartitam, quam Sozomenus, Socrates, & Theodoritus Græcè ſcripſerunt, & Epiphanius Latinitate donavit, in bonam redegit ſeriem lib. XII. qui excuſi leguntur.* Confer de illo Centuriatores Magdeburgenſes Centur. VI. Cap. X. p. m. 762. 763. D. Oſiandr. Epit. Hiſt. Eccleſ. Cent. VI. lib. 1. Cap. XIV, p. m 24. *TRIPARTITAM HISTORIAM* ſequitur *EVAGRIVS SCHOLASTICVS*, ſive, juxtà Gilbertum Genebrardum Chronograph. lib. III. p. m 260. *Protonotarius Antiocheni Epiſc.* Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, quæ libris VI. conſtat, Scriptor, Nicephoro lib. 1. Eccleſ. Hiſtor. Cap. 1: *Illuſtri dignitate præditus, qui Prætor provinciam geſſit*, Baronio Tom. VIII. ad Ann. Chriſt. 594. n. 30. *Ex Græcis primus eorum, qui leguntur, Orthodoxus Hiſtoricus.* D. Gerhardo in Patrologiâ p. m. 473. dicitur *Epiphanenſis*, ſicut & in ipſo Hiſtoriæ titulo ſive Inſcriptione legitur, quo de Iſaacus Caſaubonus Epiſt. cxcvi. ad Davidem Hoeſchelium p. m. 218. *Evagrium fuiſſe domo Epiphanenſem nullus dubito. Vrbs fuit Syriæ Cœlæ* Ἐπιφανεία *nomine, cujus multa apud Geographos & Hiſtoricos mentio. Hujus* ἐθνικὸν *eſt* Ἐπιφανεὺς, *ut ſcimus cùm ex Analogiâ, tùm ex Stephano. Rectè igitur in editione Evagrii ſcriptum,* Ἐπιφανεὺς, *recteq; Interpretes, Epiphanenſis. Hoc ipſum indicare voluit Photius, cum ſcriberet,* πόλεως δὲ Ἐπιφανεῦς τῆς κατὰ τὴν Κοίλην Συρίαν. Sic autem Evagrius de ſua Hiſtoria in frontiſpicio lib. 1. Cap. 1. *Euſebius cognomento Pamphilus, Vir ſanè cùm in aliis rebus diſertiſſimus, tum in ſcribendo tantum pollens, ut poſſit Lectores ſuorum librorum, etſi non efficere perfectos Chriſtianos, ita tamen perſuadendo impellere, ut Chriſtianam Religionem lubentes colant: Euſebius, inquam, Sozomenus, Theodoritus & Socrates de Clementiſſimi noſtri Servatoris in mundum adventu, de ejus in cœlos aſcenſione, de rebus geſtis Apoſtolorum, de certaminibus à ſanctis Martyribus confectis, & ſi quid aliud factum ſit, dignum commemoratione, vel ſecus, ad aliquam partem regni Theodoſii literis accuratiſſimè prodiderunt. Et quoniam ea quæ deinceps geſta ſunt, illis videntur non multò inferiora, atq; hactenus nullo ordine commemorata ſunt: quamvis ipſe in ejuſmodi rebus tractandis indiſertus videar, tamen arbitror laborem in illis memoriæ prodendis à me poni, hocq; Opus ſuſcipi, inq; eo qui & Piſcatores ſingulari imbuit ſapientiâ, & linguam indiſertam ita limavit, ut voces articulatim & diſtinctè poſſit exprimere, firmam collocari debere: ad eum planè finẽ, ut res geſtas jam olim oblivione intermortuas, quaſi ad vitam*

 denuò

denuò revocare queam, ſicq; animare Oratione, & ſempiterna memoria commendare: non modò ut quiſq; tum quid factum ſit ad noſtram uſq; ætatem, tum quo tempore, quove loco; tũ quo modo, tum adverſum quos, tum denique à quibus, verùm etiam ut nihil dignum memoriâ, prælanguidâ & diſſolutâ inertiâ, oblivione, quæ illi rei finitima eſt & vicina maximè, obruatur. Ibi igitur divino adjutus auxilio, initium faciam ſcribendi, ubi illi Scriptores, quos ſuprà dixi, finem Hiſtoriæ impoſuerunt. Ubi deſinat, indicat idem lib. VI. Cap XXIII. *Hoc loco Hiſtoriæ finem imponere animus eſt, anno ſcilicet duodecimo regni Mauricii Tiberii Imperatoris Romani, reſq; quæ deinceps ſequuntur, his quibus libitum fuerit narrandas, monimentiſq; literarum prodendas relinquere. Quod ſi quicquam à nobis vel omiſſum negligentiâ, vel minus accuratè expoſitum videatur, nemo nobis crimini det: illud ſecum cogitans, nos Hiſtoriam diſperſam diſſipatamq; in unum collegiſſe, quo utilitati hominum, quorum gratiâ tantos & tàm graves labores ſuſcepimus, inſerviremus.* De quo tamen Ἐπίκρισιν ſuam ſubjungit Baronius l. c. *Etenim præſenti anno, quo abſolvit Hiſtoriam ſuam, annus expletur Mauritii nonus, & decimus incohoatur. Emendatum habes Evagrium apud Photium in Bibliotheca, ubi de Evagrio agens, ait ipſum ſuam produxiſſe Hiſtoriam uſq; ad annum decimum Mauritii Imperatoris*, Nicephorus l. c. de illo ſcribit, *quod argumenta & materiam ex Euſtathio Syro, Sozimo, Priſco, Ioanne, Procopio Cæſarienſi, Agathia, qui illis temporibus ordine inſignes fuêre Oratores, & præterea ex aliis nõ pœnitendis Hiſtoricis decerpſerit.* Verùm cùm magnã partem Scriptorum ſuorũ Zachariæ Rhetoris, Eutychiani Hæretici autoritate confirmet Evagrius, ipſum haud immeritò *Eutychianum* à nonnullis dici ſtatuit D. Quenſtedt *in Dialogo* p. m. 451. *EVAGRIO* ſuccenturiandus *THEOPHYLACTUS SIMOCATTUS*, Ægyptius origine, ſed in Græcia natus, Autori Bibliogr. Hiſtorico-Politico-Philologicæ Curioſæ, *gravis admodũ Byzantinus Scriptor.* Cujus de rebus geſtis Mauritii Imperat. liber Græcus extat in Bibl. Vaticana juxtà Geſnerũ p. m. 790. Univerſalis Hiſt. lib. VIII. qui potiſſimùm agunt de Imperio Mauritii, inter MSS. Theologica Bibliothecæ Monachienſis, quorum Indicem Seculi currentis initio Joh. Georgius Hervartus ab Hoenburg Bavar. Cancellarius, annuente Sereniſſimo Bavariæ Duce, edi curavit, apud Spizelium l. c. p. m. 181. Qui cum verſione Jacobi Pontani Soc. Jeſu Theologi prodierunt Ingolſtadii ann. 1604. Et inter Scripta à Pontano è Græco in Latinam linguam verſa recenſet Petrus Ribadeneira in Catalogo Scriptorum Religionis Societatis Jeſu p. m. 126. Quem Scriptorem haud leviter commendat Degoreus Whear p. m. 232. *Heraclii tempore circa Annum Chriſti 612. claruit Theophylactus Simocattus, inter recentiores Græcos ſcriptor eximius; Is Octo libros de rebus à Mauritio geſtis exaravit, quos (Evagrio expedito) adhibeat Lector, neq; eum ſua opellæ, legendo inſumptæ, pœnitebit: quippe ad Ann. à Chriſto nato 601. & ad ipſius Mauritii cædem Hiſtoriam perducit; idq; non perfunctoriè, ſed accuratiſſimè, & elaboratiſſimè; ex quo, tanquam flumine, alii ſuos rivos deduxerunt.* Joh. Henricus Boeclerus in Commentatione Poſtumâ de Scriptoribus Græcis & Latinis p. m. 85. cenſet,

quod in illo ſatis prudentiæ ſive intelligentiæ rerum: ſed ſtilus ad veterem eloquentiam non aſcendat, & alicubi laciniofus ſit. SIMOCATTO Degoreus Whear ſubjungit NICEPHORUM PATRIARCHAM CONSTANTINOPOLITANUM, de quo Centuriatores Magdeburgeſes Centur. IV. Cap. X. p. m. 485, 486. ejuſque obitu Baronius Tom. IX. ad Ann. Chriſt. 828. n. 35. Qui idem eſt, de quo Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis p. m. 186. 187. D. Gerhardus in Patrologia p. m. 505. Scripſit hic Breviarium de Rebus geſtis à Mauritii cæde, uſque ad Leonis IV. Porphyrogenneti & Irenes nuptias, hoc eſt, Conſtantini Copronymi annum 29. Chriſti 769. Quem Græcè cum tralatione ſua & Notis Chronologicis Ann. 1648. Pariſiis edidit Dionyſius Petavius. De quo Photius Patriarcha itidem Conſtantinopolitanus in Bibliotheca, (ſive Eclogis & Excerptis ex Auctoribus, quos ipſe legit, juxta Boeclerum l. c. p. m. 88. 89. *incomparabilis ſeculo poſt natum Chriſtum nono eruditionis Opere: in quo multa eloquentiæ & varia doctrinæ myſteria, tum fragmenta plurima ſcriptorum amiſſorum*) judicat, *eum multos, qui antea ſcripſiſſent, hoc uno Hiſtorico Opere exſuperaſſe; neq; in eo aliud quicquam deſiderari poſſe, quàm quod brevitas nimia deterat aliquid de ſumma venuſtate.* Scripſit etiam Chronologiam, quam quidem Gerhardus Joh. Voſſius de Hiſtor. Græcis Nicephoro Conſtantinopolitano Juniori, qui circa annum 842. vixit, tribuit; Sed poſteà in Addendis ad Hiſtoricos Græcos, lucem allucente Philippo Labbeo, ſententiam ſuam mutavit, ut obſervat Cl. Hallervordius in Bibliotheca Curioſa p. m. 283. 284. ubi addit, quod in lucem (poſt alias editiones, de quibus Geſnerus in Biblioth. p. m. 617.) venerit hæc Chronologia Græcè & Latinè unà cum Gregorio Syncello, curâ Jacobi Goar Pariſiis fol. 1652. Typis Regiis. Notus eſt quoque *NICEPHORUS CALLISTUS XANTHOPULUS*, qui libris XIIX. ut hodiè extant, Hiſtoriam Eccleſiaſticam à nato Chriſto uſque ad Heraclii Imperatoris initia, & annum Chriſti DCXXV. perduxit. De quo Sixtus Senenſis lib. 4. Bibl. S. p. m. 297. ſcribit, quod claruerit ſub *Emanuele Imperatore Anno Domini MC.* Verùm in annorum numero vel error eſt Typographi, vel ipſius Sixti Senenſis. Manuel enim Comnenus, Joh. F. Alexii N. regnare cepit Ann. Chriſt. 1143. Obiit Menſe Septemb. Ann. 1180. Emanuel verò Palæologus, Joh Filius, Andronici. IV. Frater, trecentis annis, quàm ſtatuit Sixtus Senenſis, eſt junior, cum juxtà Dn. D. Tobiam Wagnerum, Cancellarium Tubingenſem, lib. VIII. Inſtitutionum Hiſtoricarum p. m. 504. edit. Ulmens. 1663. Chriſtophorum Adamum Rupertum in Obſervationibus ad Hiſtoriæ Univerſalis Synopſin Beſoldianum Minorem p. m. 613. Imperium adeptus fuerit Ann. Chriſt. 1387. & reliquerit Ann. Chriſt. 1419. Nec anno MC. clatere potuit Nicephorus, cum Hiſtoriam ſuam dedicârit Andronico Seniori Palæologo. Unde Bellarminus de Script. Eccleſ. p. m. 266. colligit, illum vixiſſe poſt annum Domini millеſimum trecenteſimum. Confer Gilbertum Genebrardum Chronographiæ lib. IV. p. m. 395.

Hiſtoriam ejus Eccleſiaſticam juſſu Ferdinandi I. Imperatoris, tum temporis Romanorum Regis, è Græco in Latinum Sermonem tranſtulit Jctus non è trivio Joannes Langus, Vir cum Sigiſmundo Libero Barone in Herberſtein, & Matthæo Logo Suidnicenſium Præfecto, Legationibus arduis pro totius Chriſtianæ Reipublicæ aris & focis Nobiliſsimus, cujus vitam in Vitis Germanorum Jctorum exhibet Melchior Adami p. m. 78. ſeqq. Sic enim ipſe Langus in Epiſtola Dedicatoria: *Nicephori Calliſti, Scriptoris Catholici, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ decem & octo librorum è Græco translationem, Majeſtatis tuæ, Rex inclyte, juſſu mihi mandatam, & Dei tandem Opt. Max. ope ad finem ſuum perductam, apud Majeſtatem tuam officioſè exhibeo & repræſento.* Et paulò poſt: *Ipſe quidem ſingulari providentiæ divinæ beneficio, hoſce Nicephori libros, Græco Sermone compoſitos elegantiſsiméq; manu deſcriptos, temporibus noſtris reſervatos, ad nos perveniſſe arbitror. Declarat hoc ſatis rei eventus. Quum namq; annos multos, ex Budenſi Regia Bibliotheca, quam Matthias Corvinus, Pannonum Rex, pulcherrimam, Græcis & Latinis libris lectiſsimis refertam, inſtituit, ſurreptus, diu in privati hominis bonis fuiſſet: & poſteà per milites Turcicos, in miſerabili caſu & direptione Pannoniæ, inter reliquam prædam Conſtantinopolim deportatus, in foro ibi Scrutario veniſſet, perquàm commodè accidit, ut à Chriſtiano, eodemq; Studioſo homine emptus, poſtliminio in eandem Pannoniam ſit reverſus. Vbi tandem in dominium præclari & eruditi Viri, Georgii Logi, Iuriſc. Vratislav. Sanctæ Crucis, & Divi Ioannis, Eccleſiarum Præpoſiti & Canonici, Majeſt. tuæ Conſiliarii, conceſsit; Vnde nobis, Majeſt. tua jubente, ejus Latinè vertendi poteſtas eſt facta. Accidit præterea paulo ante id tempus, ut Lutetiæ Pariſ. in Francia, regiis typis, Euſebii ipſius Pamphili, & reliquorum Eccleſiaſticorum Scriptorum hiſtoria, unde Tripartitam ſuam Caſsiodorus Senator decerpſit, & Nicephorus noſter bonâ ex parte, pleraq; loca & argumenta, arbitratu ſuo, in Opus hos ſuum congeſsit, in publicum græcè ederentur, Deo hoc ſic diſponente, ut libris ejuſmodi Græcè & Latinè vulgatis, plurium teſtimonio editionum magis atq; magis veterum in Eccleſia Chriſtiana rerum geſtarum veritas atq; certitudo confirmetur: & ea utilitas, quam pii omnes ſperamus, votiſq; omnibus expetimus, ad temporum noſtrorum Eccleſiam, & populum Chriſtianum univerſum, Ordinum in eo omnium moribus pariter caſtigandis, erroribus legitimè tollendis, & doctrinis piè confirmandis, perveniat.* De Nicephoro ſcribit Bellarminus de Script. Eccleſ. p. m. 226. *Porrò in Hiſtoria hujus Auctoris, ut Græci, & Schiſmatici, non mirum videri debet, ſi inveniantur errores proprii Græcorum, ut de proceſſione Spiritus Sancti à ſolo patre, in ipſa præfatione. Magis mirum eſt, inveniri non paucos errores in rebus Hiſtoricis, ut ex Annalibus Card. Baronii conſtat.* Baronius ſanè hinc inde illum caſtigat & erroris arguit. Vide Tom. II. ad Ann. Chriſt. 110. n. 10. Ann. Chriſt. 189. n. 2. Ann. Chriſt. 258. n. 18. &c. Tom. VII. ad Ann. Chriſt. 552. n. 16. indignatur, *illum parùm æquum fuiſſe in Vigilium Papam, quia Conſtantinopolitanum Epiſcopum Mennam à communione ſuſpendit.* Quod & cum Antonio Poſſevino notat Leonardus Coquæus in AntiMornæo Tom. I. p. m. 305. Verùm modò laudatus Langus l. c. illius Hiſtoriam laudibus extollit: *Enimverò niſi me opinio mea fallit,*

Nicepho-

Nicephorianum hunc priſcarum Eccleſiæ rerum codicem, rebus temporibusq́; noſtris valdè utilem, commodum, neceſſariumq́; adeò foreputo. Nam & cenſuram corruptorum apud nos morum, veluti antiquus diſciplinæ Chriſtianæ Magiſter, aget: Ordinum omnium hominibus omnibus, ſimul & virtutum, quæ imitemur, & vitiorum, quæ vitemus, exempla illuſtria, & cum pietatis ſempiterna præmia, tum infidelitatis perpetua ſupplicia proponens: & ad ordinandam cōnſtituendamq́; Rempubl. Eccleſiaſticam civilibus atq́; inteſtinis diſsidiis admodum convulſam & labefactatā, viam oſtendet: quemadmodū antiquitus diſſenſiones in Eccleſia multifariā exortæ, legitimis quietiſq́; Conſiliis ſopitæ ſint & compoſitæ, Synodorum aliquot Oecumenicarum acta exhibens. Quæ omnia Summos Orbis Chriſtiani Principes non noſſe tantum, ſed identidem ſecum in animo volvere, continuòq́; ob oculos habere, communis omnium noſtrûm ſalutis, & totius Reipublicæ magnoperè intereſt. Non quod iſta antehac in libris, monumentiſq́; literarum aliis, & in Euſebii Pamphili Eccleſiaſtica, quam Rufinus vertit, & ea quæ vocatur Tripartita Hiſtoria, tradita atq́; expoſita non ſint: ſed apud Nicephorum noſtrum omnia ordine meliore, delectuq́; & judicio acriore, dilucidius & copioſius, ab antiquis ſcriptoribus ſumpta, oratione perpetua referuntur: ita ut ſi alius Operis hujus uſus non eſſet, illâ ſaltem re, plurimùm id prodeſſet, quod editioni veteris Hiſtoriæ, quam dixi, Eccleſiaſticæ nimis ſæpè acciſæ & obſcuræ, permultum affert lucis. Quâ de re plura mihi facere verba, opus non eſt: quandoquidem Nicephorus ipſe, in initio ſtatim lucubrationis hujus ſuæ, utilitatem ejus præ cæteris Eccleſiaſticorum Scriptorum Hiſtoriis, luculenter ſatis ſtilo eſt proſequutus. Fabulas tamen in illo reperiri nemo diffitebitur. Hinc Iſaacus Caſaubonus Exercit. I. de Rebus Sacris & Eccleſiaſticis p. m. 95. edit. Genev. ann. MDCLIV. illum *fabuloſiſſimum Scriptorem & judicii in literis nullius*; nec non Exercit. XVI. p. m. 405. *fabularum conſarcinatorem* vocat. Confer etiam D. Dorſcheum in Sylloges Vindiciarum & Animadverſionum ad Rob. Bellarmini Cardinalis in Quatuor Tomis Controverſiarum factas allegationes ex Exodi Moſaicæ Cap. IV. Part II. Diſſert. V. p. m. 94. Hinc D. Pappus in Epitome Hiſt. Eccleſ. p. m. 6. de illo monet: *Accuratè verò & cum judicio attento Nicephori Hiſtoria legenda eſt; inquinata videlicet multis partim ridiculis, partim etiam impiis fabulis, inter quas pleraq́; tamen lectu non indigna reperiuntur.* Scripſit quidem libros XXIII. Sed quinque poſteriores hodiè deſiderantur, quorum tamen argumenta exhibet Johan. Langus in ſua Verſione p. m. 1163. 1164 edit. Francofurt. MDCXVIII. *NICEPHORO CALLISTO* antiquior erat *GEORGIUS CEDRENUS* Monachus, qui Græcè concinnavit Annales ſeu potius Compendium, quod vocat Σύνοψιν ἱςοριῶν, ab initio mundi uſque ad Iſaacum Comnenum, cujus & vixiſſe temporibus videtur. Compendium illud Latinè vertit & Scholiis illuſtravit Guilielmus Xylander, Græcæ linguæ in Archipalatina Univerſitate Heidelbergenſi quondam Profeſſor, ut in ejus vitâ inter Germanorum Philoſophorum Vitas laudat Melchior Adami p. m. 290. Quæ editio prodiit Baſileæ apud Oporinum in fol. 1566. Cum ejuſdem

Xylandri Verſione emendatâ, Notis Jacobi Goar, Ordinis Prædicatorum Monachi, & Caroli Annibalis Fabroti Gloſſario Pariſiis Typis Regiis in fol. 1647. Obſervat Gerhardus Johannes Voſſius de Hiſtoricis Græcis, quod, ſicut Africanum Euſebius, Euſebium Gregorius Monachus, Taraſii Patriarchæ Syncellus, in ſua Excerpta Chronographica Pariſiis in fol. anno 1652 denuò Typis Regiis edita ferè totum deſcripſit: ita Cedrenus Syncellum, itemq; Gregorium Theophanem, qui æqualis fuit Syncelli, eumq; ad obitum Nicephori Logothetæ & initium Michaelis Curopalatæ continuavit, ad verbū exſcripſerit. Contrà monet Geſnerus in Biblioth. p. m. 426. 427. quod Joannes Curopalates, æqualis Cedreni & Michaelis Pſelli, in Compendio ſuo Hiſtorico, quod incipit ab obitu Nicephori ann. 811. uſque ad Nicephorum Botoniatam, qui imperare cepit ann. 1078. *Omnia ferè ad verbum è Cedreno deſcripſerit, exceptis paucis foliis in fine libri.* Iſaacus Caſaubonus Exercit. II. p. m. 175. illum *nullius admodum judicii, & veteris Hiſtoriæ imperitiſſimum*; Juſtus Lipſius Centur. Miſcellaneâ Epiſtol. LX. ad Nicolaum Hacquevillium p. m. 520. *Anilium ſæpè fabellarum ſcriptorē, & veri incurioſum, vel ignarum* vocant. *Iudicio non valdè pollere*, inquit Joh. Henricus Boeclerus Commentatione Poſtumâ de Scriptoribus Græcis & Latinis p. m. 91. Caſtigatur à Joſepho Scaligero de Emendatione Temporum lib. VI. p. m. 267. 268. edit. Lutet. MDLXXXIII. JOHANNES ZONARAS, olim Byzantii Magnus Drungarius & Proto-Secretarius Imperatorum Alexii & Joannis Comnenorum, poſteà Monachus ex Ordine, ut vocant, S. Baſilii, qui juxtà Bellarminum de Script. Eccleſ. p. m. 217. D. Gerhardum in Patrologia p. m. 550. circa annum 1118. floruit, Hiſtoriam Univerſalem Græcè tribus Tomis conſcripſit, *quorum primus agit de rebus Iudaicis ab exordio mundi uſq; ad Hieroſolymitanum excidium: ſecundus Hiſtoriam Romanam ab Vrbe conditâ, uſq; ad Conſtantinum Magnum breviter complectitur: Tertius Imperatorum res geſtas uſq; ad obitum Alexii Commeni, hoc eſt, ad Ann. Chriſt.* 1117. ut vult Genebrardus lib. 4. Chronographiæ p. m. 356. Quod Compendium Hieronymus Wolfius liberalitate D. Antonii Fuggeri (qui illum è Galliâ reducem benignè recepit, atque Illuſtri Bibliothecæ D. Joannis Jacobi Fuggeri præfecit, ut in Vitis Germanorum Philoſophorum refert Melchior Adami p. m. 305.) quàm emendatiſſimè quinque Codicibus inter ſe collatis Baſileæ in fol. 1557. edidit, juxtà Geſnerum in Biblioth. p. m. 513. Quod etiam extat in Corpore Hiſtoriæ Byzantinæ Francof. Anno 1568. & in eodem Corpore Lutetiæ Ann. 1567. teſte magnæ induſtriæ & diligentiæ Viro Jo. Hallervordio in Bibliotheca Curioſa p. m. 209. Bibliographia Hiſtorico-Politico-Philologica Curioſa Hiſtoriam illam Zonaræ ſtatuit magni æſtimari, *quia pleraq; nimirum ex optimis autboribus deſumpſit, & de Eccleſiâ Græcâ inſignia monumenta collegit*, &c, ut loquitur D. Pappus in Epitom. Hiſtor. Eccleſ. p. m. 7. *Controverſias Religionis in Orientalibus Eccleſiis ſingulorum Cæſarum vitiis intexuit.* Tertium

inpri-

inprimis Tomum Lectori commendat Degoreus Wheat l. c. p. m. 240. 241. Verùm cum non deſint, qui cum Auberto Miræo in Auctario de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Gerh. Joh. Voſſio de Hiſtoricis Græcis, majorem in ejus ſcriptione curam atque induſtriam deſiderent, incuriam ejus ſupplevit ANNA COMNENA, Alexii Imperatoris filia, quæ non perfunctoriè, neque oſcitanter, ut Zonaras Patris ſui facta juxtà Geſnerum in Biblioth. p. m. 53. XV. libris (Joh. Bodinus in Methodo Hiſtoriarum p. m. 537. Genebrardus lib. 4. Chronographiæ p. m. 350. XX. numerant) *non ineleganter*, ut cenſet Autor citatæ Bibliographiæ Curioſæ, deſcripſit; & *Alexiada* nuncupavit. Quorum priores octo ex Auguſtana Bibliotheca edidit David Hoeſchelius. Vide Iſaac. Caſaubon. Epiſt. ccccxcvI. p. m. 673. Ante editionem tamen Hoeſchelianam, Geſnero in Biblioth. l. c. dicitur publicata Venetiis. Integrum verò Opus cum Notis Petri Poſſini è Societate Jeſu Anno 1657. Pariſiis è Typographia Regia prodiit. Ab anno, quo Zonaras deſierat, *NICETAS ACOMINATUS*, qui, quod ex Chonis Phrygiæ Oppido oriundus eſſet, *CHONIATES* dicitur, Vir dignitate in Conſtantinopolitano Imperio illuſtris, Magnus Logotheta Secretorum, Inſpector & Judex Veli, Præfectus Cubiculi, Hiſtoriam Annorum LXXXVI. juxtà Bodinum in Methodo p. m. 538. uſque ad exitum Murzufuli Imper. id eſt, uſque ad Annum MCCIII. concinnavit. Bodinus libros recenſet XIX. cui conſentiunt D. Pappus Epitom. Hiſtor. Eccleſ. p. m. 7. Gilbertus Genebrardus Chronographiæ lib IV. p. m. 377. Geſnerus in Biblioth. p. m. 618. ubi typographicus occurrit error; Pro *Novem* enim legi debet *novendecim*, quod ex enumeratione librorum ibidem inſtituta patet. Hallervordius tamen in Bibliotheca Curioſa p. m. 184. libros XXI. habet ab anno nempe 1118. uſque ad annum 1205. Cui quoad numerum Annorum adſtipulantur Bellarm. de Scriptor. Eccleſ. p. m. 243. D. Gerhardus in Patrologia p. m. 589. D. Quenſtedt in Dialogo p. m. 470. Juſtus Lipſius in Notis ad lib. 1. Politicorum Cap. IX. p. m. 22. edit. Lugd. Batav. 1590. ad annum circiter cIↄ ccx. extendit. Quos libros, teſte Geſnero l. c. anteà in Bibliothecis latitantes Magnificus D. Antonius Fuggerus Græcè & Latinè edi curavit, interprete Hieronymo Wolfio, Baſileæ apud Oporinum, anno Domini 1557. Alias editiones adducit Hallervordius. Magnis illum extollit laudibus Lipſius l. c. Autori Bibliographiæ Curioſæ *Eximius ſcriptor eſt, qui multa de invidia Græcorum Imperatorum adverſus Occidentales Principes ſcripſit, quantumq; eorum adverſus Turcas Paſſagiis obſtiterint, clarè teſtatur.* Aliter tamen ſentit Chriſtophorus Coletus de ordinando Studio Politico Epiſtolâ ad Generoſum Juvenem Stanislaum Zelanium Vitellium de Zelanka p. m. 193. inter Hugonis Grotii & aliorum Diſſertationes de Studiis inſtituendis edit. Amſterod. 1645. *Choniates ab ineptiis ſæpè non abſtinet. Piè tamen multa, & aliquando de cauſſis malorum publicorum non imprudenter diſſerit.*

Illud riſt, quod reliquos Hiſtoricos in Præfatione ſua tàm infeſto ſtylo petit, ipſe ſuorum vitiorum ignarus. Boeclerus Comment. de Scriptoribus Græcis & Latinis p. m. 96. *ſtilum non multùm ſolida laudis habere poſſe, Hiſtoriam neceſſariam eſſe* ſtatuit. Degoreus Whear p. m. 243. ſuadet cum Nicetâ conjungendum eſſe *Gregorium Logothetan*, qui Chronicon concinnavit Conſtantinopolitanum ab Anno 1203. uſque ad Annum 1261. quod inter alios multos Græcos Codices Georgius Douſa Conſtantinopoli attulit à Fratre Theodoro Douſa editum. Vide Johannem Lomejerum Libro Singulari de Bibliothecis Cap. IX. Sect. II. p. m. 211. edit. Zutphan. MDCLXIX. *Nicetã* excipit *NICEPHORVS GREGORAS*, Theodori Metochitæ Auditor, de quo Bellarm. de Scriptor. Eccleſiaſt. p. m. 271. ad Ann. Chriſt. 1330. *Nicephorus Gregoras, Hiſtoricus Græcus, vivebat Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Quadrageſimo Quarto, ut ex fine operis intelligi poteſt. Scripſit libros undecim de rebus Imperii Orientalis ab eo tempore, quo Imperium Orientale devenit in poteſtatem Latinorum, & perduxit Hiſtoriam uſq; ad obitum Andronici Iunioris, id eſt, ab Anno Domini 1200. uſq; ad Annum Milleſimum trecenteſimum quadrageſimum quartum.* Gilbertus Genebrardus lib. 4. Chronographiæ p. m. 376. *Nicephorus Gregoras deſcripſit libris XI. Græcam Hiſtoriam Annorum 145. nempe à capta Vrbe Conſtantinopoli à Latinis, uſq; ad obitum Andronici Iunioris, qui contigit anno, ut ipſe computat, Orbis Conditi 6849. hoc eſt (numerando ſecundum vulgatum morem Græcorum, quibus primus annus Chriſti eſt ab Orbe condito 5505, ut liquet ex Nicephori Calixti lib. 1. Cap. 10.) Anno Chriſti 1344.* Geſnerus in Bibliothecâ p. m. 618. notat, *quod, quæ 4. 5. 6. 7. libro continentur, pleraq; è Pachimerio mutuatus ſit, eumq; in Compendium redegerit.* Cl. Hallervordius in Bibl. Curioſa p. m. 284. *quod Fragmenta quædam in Vulgatis editionibus deſiderata, unà cum Nicephori Conſtant. Breviario vulgaverit Petavius.* Tanquam *Schiſmaticorum Hiſtoriographum* in ſcenam producit Abrahamus Bzovius Tom XIV. Annal. ad Ann. Chriſt. 1300. n. 27. propter Irenem Imperatricem, quam Nicephorus Gregoras, ut ambitioſam, reprehendit. Et ad Ann. Chriſt. 1333. n. 1. quod Patriarcham Conſtantinopolitanum à diſputatione de Pace Eccleſiarum cum Legatis Romani Pontificis Johannis XXII. averterit. Juſtus Lipſius Notis ad lib. 1. Politic. Cap. IX. p. m. 23. *Superfluit, aut evagatur: & res Orationeſq; proprias miſcet, indecorè, imò ineptè. Iudicia tamen ejus crebra, & plerumq; recta: cauſſæ eventuum curiosè poſita: pietas inculcata, & multa opportunè ad primam illam cauſſam relegata, id eſt Deum. Sanè Providentiam & Fatum non alius ſcriptor aſſeruit magis. Legendus cum hoc nomine, tum etiam illo, quod pleraq; ejus Hiſtoria ab ævo noſtro non diſſidet: imò lites diſſenſuſq; in Sacris reperies, haud diſſimiles hodiernis.* Boeclerus Comment. de Scriptoribus Græcis & Latinis p. m. 105. *Scriptorem cordatum, judicio præditum, probum, pium, ſupra ſæculum ſuum gravem* vocat. Autor Bibliographiæ Hiſtorico-Politico-Philologicæ Curioſæ de illo: *Nicephorus Gregoras elegans ac magni judicii Hiſtoricus, & velut ſequioris ævi Polybius: ut qui omnia itidem ad providentiam divinam refert.* A morte

Andro-

Andronici Palæologi, ubi deſinit Nicephorus Gregoras, multa nobis ſuppeditat IOANNES CANTACVZENVS, juxtà Abrahamum Bzovium Tom. XIV. Annalium ad Ann. Chriſt. 1375. n. 1. *Ex Imperator Conſtantinopolitanus, Divi Baſilii inſtitutum profeſſus*, qui Bzovius ut Nicephorum Gregoram carpit, ita Cantacuzenum l.c. *ob ſtudium in Romanam Eccleſiam* extollit. Hic ex Imperatore Monachus factus, ac pro *Ioanne Ioſaaphus* dictus ſub nomine CHRISTODVLI luculentam condidit Hiſtoriam libris IV. de Imperio Andronici Junioris & ſuo. Inter Monachienſis Bibliothecæ MSS. Theologica reperiuntur *Chriſtoduli Hiſtoriarum libri IV. de Bellis & Controverſiis Andronici. Verus Auctor eſt Ioannes Cantacuzenus Imperator*, apud Spizelium l.c. p. m. 182. Geſnerus in Bibliotheca p. m. 418. Scriptorum quidem ejus, ſed Hiſtoriæ hujus nullam mentionem facit. Verùm poſt obitum Geſneri per Jacobum Pontanum de Græco in Latinum converſa, & cum ejuſdem ac Jacobi Gretzeri additis Ingolſtadii anno 1603. edita eſt, ubi quoque Dignitatum ac Functionum Palatii, & Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, quarum Cantacuzenus meminit, ex Curopalatâ, & ejus Scholiaſte potiſsimùm, Explanatio ſubjungitur. Edita quoque eſt Græcè & Latinè è MSS. Petri Seguerii, Franciæ Cancellarii, Tom. III. Pariſiis ann. 1645. & 1646. Typis Regiis in fol. Petrus Ribadeneira in Catalogo Scriptorum Religionis Societatis Ieſu p. m. 125. ubi de Scriptis Pontani agit, cenſet *quod illa Cantacuzeni Hiſtoria elegantiſsimè ſit deſcripta.* Quid tamen de Verſione Pontano-Gretzerianâ ſit ſentiendum, indicat Autor Bibliographiæ Hiſtorico-Politico-Philologicæ Curioſæ: *Cantacuzeni Imperatoris nobiliſsimum Opus inter Byzantinos Scriptores ediderè Pariſienſes ſplendidiſsimo typo: candidius verſati, quàm Gretzerus Ieſ. in ſua edit. Qui cum videret eum de Conſenſu Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis alicubi agentem, multa habere Religioni Catholicæ hodiernæ contraria, partim ea ipſe delevit, partim gloſſis oneravit, cauſatus ſe ea tantùm omiſiſſe, quæ ſuperflua forent*, Hiſtoriæ hujus quoque meminit Vir infinitæ lectionis Dn. Vincētius Placcius in Exquiſito Syntagmate de Scriptis & Scriptoribus Anonymis atq; Pſeudonymis p. m. 214. *Ioſaaphus Chriſtodulus, vocari voluit Ioannes Cantacuzenus, ex Imperatore Conſtantinopolitano Ann. 1360. libera ſua voluntate Monachus factus, ſub eoq; nomine ſcripſit Hiſtoriam luculentam de Imperio Andronici Iunioris & ſuo: Poſtea prodière ſub ipſius nomine aliquoties, & tandem Pariſiis ex Typographia Regia 1645. in folio, cum Iacobi Pontani interpretatione & notis Iacobi Gretſeri Ieſuita, ſub nomine Ἰωάννου τοῦ Καντακουζηνοῦ Ἀποβασιλέως, ubi vide vitam ejus præfixam.* Boeclerus Commentat. de Script. Græcis & Latinis p. m. 105. *Hiſtoriam neceſſariam eſſe, & multa obſervatione præſtare* ſtatuit. Ultimam Orientalis Imperii periodum, & miſeram Eccleſiæ inibi conditionem depingit LAONICVS CHALCOCONDYLAS, ſive, ut aliis vocatur, NICOLAVS CHALCONDYLAS, Athenienſis, paulò poſt Annum Chriſti 1453. ſive captam Conſtantinopolin clarus, libris X. Hiſtoriam Turcicam complexus. *Orditur ab*

Oſmanno, verba ſunt Zeilleri Part. 1. de Hiſtoricis, Chronologis & Geographis Celebribus p. m. 28. *Orthogulis filio, qui regnare cœpit circa annum 1300. deſinit verò in Anno 1463. quo Mahometus II. bellum, à Venetis, & Matthia Vngaria Rege, illatum, fortiter repulit. Sed ætatem ad annum uſq; 1490. vel ultra produxit.* Reperiuntur inter MSS. Theologica Bibliothecæ Monachienſis apud Spizelium p. m. 181. Illis in linguam Latinam transferendis operam laude dignam impendit Hieronymus Wolfius, de quo in vitâ ejus Melchior Adami. p. m. 306. *Præter Oratores Atticos Suidam etiam Latinum fecit, & Hiſtoriam Byzantinam tranſtulit à Zonarâ, Nicetâ, Nicephoro Gregora, & Laonico Chalcondyle conſcriptam: quam alioqui tota fortaſſe adhuc ignorares non ſolùm Germania, verùm etiam Italia & Gallia.* Tranſcripſit quoque Johannes Leonclavius, nobili genere ortus Amelburni in Weſtphalia, nobilior eruditione rara & linguarum complurium cognitione, ab Illuſtri Barone, fortiſsimoque Militum Duce Lazaro Suendio ad Emanuelem Philibertum, & Carolum, Emanuelis filium, Allobrogum Duces miſſus, cui etiam ex Legationis à Rudolpho Cæſare ad Oſmanicam Portam adornatæ occaſione, veram Annalium Turcicorum, atque adeò recentis Orientalis Hiſtoriæ, quam luculentis ſcriptis illuſtravit, cognitionem debemus. De quo Melchior Adami in ejus vitâ p. m. 379. 380. Prodierunt ex interpretatione Latina Conradi Clauſeri Tigurini in Corpore Hiſtoriæ Byzantinæ Francof. 1568. in fol. cum Nicephoro Gregora Græcè & Latinè Colon. Allobrogum Ann. 1615. Græcè cum ejuſdem Clauſeri Verſione ac Gloſſario Caroli Annibalis Fabroti, variis collatis Bibliothecæ Regis Chriſtianiſſimi MSS. additis Sultanorum Annalibus ex tralatione Jo. Leuvnclavii, cum Supplementis & Pandectis, Pariſiis ex Typog. Regia Ann. 1650. in fol. De illo Card. Bellarminus. de Script. Eccleſ. ad Ann. Chriſt. 1460. p. m. 291. *Hunc Auctorem ponimus inter Eccleſiaſticos, quoniam ejus hiſtoria plurima continet ad res Chriſtianas pertinentia.* Verùm hanc ſubjungit Cenſuram: *Quia tamen hic auctor ab hæretico homine Latinitate donatus eſt, & annotationibus in margine poſitis auctus, in Indice Librorum Prohibitorum ejus lectio interdicta invenitur.* Sed quid de hoc Indice ſtatuant Pontificii Galli, infrà, ubi de Thuano nobis agendum, forſitan dicendi locus erit. Licet *non carere narrationibus falſis, quas temerè credidit rerum noſtrarum ignarus,* cum Bellarmino notet D. Gerhardus in Patrologia p. m. 655. Et hi quidem ſunt *SCRIPTORES HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ ORIENTALIS*, quos recenſent D. Papp⁹ & Degoreus Whear, quorum veſtigia legere placuit, ut nunc, ob temporis brevitatem, Sacro ſilentii peplo involvam *SCRIPTORES ECCLESIÆ OCCIDENTALIS*, de quibus Jo. Bodinus in Methodo Hiſtor. circa finem, Bartholomæus Keckermannus Commentario de Natura & Proprietatibus Hiſtoriæ privatim in Gymnaſio Dantiſcano propoſito, qui reperitur Tom. II. Syſtematis Syſtematum p. m. 1817. ſeqq. edit. Hanov. MDCXIII. Gerhardus Jo. Voſsius de Hiſtoricis Latinis, Hallervor-

dius

dius in Spicilegio, Chriſtophorus Sandius Notis & Animadverſionibus in Gerhardi Jo. Voſſii libros tres de Hiſtoricis Latinis edit. Amſtelod. Ann. cIↃ IↃCLXXVII. Autor Bibliographiæ Hiſtorico-Politico-Philologicæ Curioſæ, Boeclerus Comment. de Scriptoribus Græcis & Latinis &c. Quantam verò utilitatem afferat Hiſtoricorum Eccleſiaſticorum Lectio, docet *Haymo* ſive *Hemmo*, ut appellant Annales Fuldenſes, ex Anglo-Saxonum gente, Venerabilis Bedæ non Frater, ſed Conſanguineus, Epiſcopus Tertius Halberſtadienſis, in Hiſt. Eccleſ. Breviario ſcripto circa Ann. Domin. DCCC. quod Marcus Zuerius Boxhornius edidit & recenſuit Lugd. Batav. apud Davidem Lopez de Haro 1650. Sic enim ille in Concluſione ad ſuos de Chriſtianarum Rerum Memoria libros: *Quantum eruditionis, quantum divinarum & humanarum rerum notitiæ piè legentibus Eccleſiaſtica conferat Hiſtoria, noſtræ fuit experientiæ cognoſcere, qui ſæpè eam ac ſtudiosè legendo nobis ipſis fecimus fidem. Vt enim eam breviter commendemus, rerum ab initio geſtarum docet veritatem, pios primitivæ Eccleſiæ actus ediſſerit, virorum fortium geſta deſcribit, Martyrum ſudat agones, Confeſſorum merita attollit, Doctorum, qui & Patres vocatur, dicta & ſcripta commemorat.* Sic Johannes Jacobus Grynæus Præfat. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam: *Oportet Lectores imitari ſedulitatem apum. Vt enim illæ incredibili induſtriâ ſuccos bonos ex fragantibus floſculis ſugunt & mel conficiunt & aſſervant: Ita illi in magno exemplorum acervo, optima colligere, & uſibus ſuis accommodare debent. Hos ſibi imitandos proponant, & in ſingulis, id quod eximium eſt præ cæteris. Vt verbi gratia Polycarpi ſtudium in propaganda doctrina, quam Præceptore Joanne Evangeliſta didicerat: Ignatii, ad martyrium fidei causâ ſubeundum, alacritatem: Gregorii NeoCæſarienſis, fidei puritatem: Origenis φιλομάθειαν: Didymi eruditionem in omni diſciplinarum genere & in Sacris literis: Baſilii eloquentiam, Gregorii Nazianzeni Theologiam: Chryſoſtomi Zelum & eloquentiam: Athanaſii prudentiam καὶ ἀνεξικακίαν: Hieronymi linguarum peritiam: Auguſtini acumen in diſputando & doctrinam: Eleuſii & Silvani Epiſcoporum παῤῥησίαν. Quùm enim his duobus Conſtantius Auguſtus non ſine minis imperaſſet, ut τὸ ὁμοούσιον damnarent, fortiter reſponderunt: Penes Imperatorem eſſe, quid ſupplicii, penes ſe quid de pietate atq; impietate conſtituant. In aliis alia Spiritus Sancti χαρίσματα obſervent, & Deo dona danti hominibus gratias agant.* Hinc Sixtus Senenſis Præfat. in lib. IV. Bibl. S. p. m. 205. dicit, ſe divinorum Voluminum Expoſitores collegiſſe *ex approbatiſſimis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Autoribus, EVSEBIO, THEODORETO, SOCRATE, SOZOMENO, EVAGRIO, SONARA & NICEPHORO &c.* Et licet in horum cenſu reperiantur, quibus vel ſchiſmaticorum familiaritas, vel fabularum novitas, ut ſuprà vidimus, impingantur, nec illorum tamen lectio ſuo caret fructu. Agnoſcit hoc ipſe Baronius Tom. V. Annalium ad Ann. Chriſt. 419. n. 39. ſcribens: *Nec eſt, quod quis calumniosè agens, arguat eſſe rejicienda, quæ produntur ab hæreticis fuiſſe*

[illegible]. *Etenim qui his reſpondeat, unus cui nemo ob auctoritatem atq́; doctrinam refragari poſsit, Gelaſius in medium prodeat: ipſe enim in Tomo de Vinculo anathematis iſta habet: Numquidnam in ipſorum hæreticorum libris non multa quæ ad veritatem pertineant, leguntur? Numquidnam veritas reſ tanda eſt, quia illorum libri, ubi pravitas ineſt, refutantur? Aut ideò pravi libri ſuſcipiendi ſunt eorum, quia veritas, quæ in illis inſerta eſt, non negatur? Ait Apoſtolus: Omnia probate, quod bonum eſt, tenete &c.* Inter illos, qui *SCRIPTORES ECCLESIASTICOS* nobis ex inſtituto, ac peculiaribus libris, exhibent, merito ſuo primum ſibi vendicat locum B. HIERONYMUS, quem oppidum Stridonis in confinio Dalmatiæ ſeu Pannoniæ genuit (licet & alia Urbs in Hiſtria Italiæ regione ſita juxta Meelfuhrerum l. c. p. m. 114. hunc habere ſuum contendat) Presbyter Antiochenus, ſed non incardinatus, qui de *Illuſtribus Eccleſiæ Scriptoribus* eruditiſsimum conſcripſit opus. Rogatu Dextri Prætorio Præfecti, quem in Apologia adverſus Ruffinum, *ſuum amicum* vocat, hunc laborem ſe ſuſcepiſſe, fatetur ipſe Hieronymus in Præfatione: *Hortaris Dexter, ut Tranquillum ſequens, Eccleſiaſticos Scriptores in ordines digeram, & quod ille in enumerandis gentilium literarum Viris fecit illuſtribus, id ego in noſtris faciam, id eſt, ut à paſsione Chriſti uſque ad decimum quartum Theodoſii Imperatoris annum, omnes qui de Scripturis Sanctis memoria aliquid prodiderunt, tibi breviter exponam. Fecerunt quidem hoc idem apud Græcos Hermippus Peripateticus, Antigonus, Caryſtius, Satyrus, doctus Vir, & longè omnium doctiſsimus Ariſtoxenus Muſicus. Apud Latinos autem Varro, Santra, Nepos, Hyginus, & ad cujus nos exemplum vis provocare, Tranquillus. Sed non eſt mea & illorum ſimilis conditio: illi enim hiſtorias veteres annaleſq́; replicantes potuerunt quaſi de ingenti prato parvam Opuſculi ſui Coronam texere. Ego quid acturus ſum, qui nullum prævium ſequens, peſsimum (ut dicitur) Magiſtrum memetipſum habeo? Quanquam & Euſebius Pamphili in decem Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ libris, maximo nobis adjumento fuerit, & ſingulorum de quibus ſcripturi ſumus volumina, ætates authorum ſuorum ſæpè teſtentur.* Meminit hujus libri Hieronymus in Epiſtola ad Deſiderium: *Scripſi librum de Illuſtribus Viris ab Apoſtolis uſq́; ad noſtram ætatem, imitatus Tranquillum, Græcumq́; Apollonium. Et poſt Catalogum plurimorum, me quoq́; in calce Voluminis, quaſi abortivum, & minimum omnium Chriſtianorum poſui: ubi mihi neceſſe fuit, uſq́; ad 14. annum Theodoſii Principis, quæ ſcripſeram breviter annotare.* Vide Centuriatores Magdeburgenſes Cent. IV. Cap. X. p. m. 1218. B. Auguſtinus Hipponenſium Antiſtes apud D. Chemnitium in Oratione de Lectione Patrum, libellum hunc judicavit *lectu digniſsimum*, qui MS. juxta Hallervordium in Spicilegio p. m. 94. ſupereſt in Biblioth. Regis Galliæ, Patavii in Biblioth. Eccleſiæ Cathedralis, & in Biblioth. Cœnobii S. Juſtinæ, Florentiæ in Bibl. Medicea, ut eſt apud Henricum Ernſtium, Regiæ & Equeſtris Academiæ Soranæ Profeſſorem, in Catalogo librorum Bibliothecæ Mediceæ edit. Amſtelod. 1646 qui etiam promiſit libellum hunc emendatum, ſed,

Repromiſſis ſteterit, valdè metuit Hallervordius l. c. Suffridus Petri, Leovardienſis, in Epiſt. Dedicat. quam Authoribus Præcipuis Veteribus de Illuſtribus Eccleſiæ Scriptoribus præmiſit, teſtatur *Opus hoc Græcis adeò placuiſſe, ut eorum rogatu Sophronius Hieronymi familiaris illud in Græcum Sermonem ex Latino mox tranſtulerit.* De Verſione tamen illâ Sophronii quid judicet Iſaacus Voſſius G. I. F. indicat ipſemet in Notis ad Epiſtolas Genuinas S. Ignatii Martyris, quæ ejus ſtudio & curâ primò lucem viderunt ex Bibliothecâ Florentinâ, edit. Amſtelod. apud Johannem Blaeu cIↄ Iↄ cxlvi. p. m. 257. *Mihi conſtat translationem iſtam Græcam, Sophronii nomen mentiri. Verſio illa innumeris in locis non eſt Græca: innumeris quoq; in locis malè Hieronymi mentem expreſſit. Quicquid in Hieronymo eſt corruptum, eodem modo ſeſe habet in Græco: quæcunque in illo Hieronymi Catalogo deſunt (deeſſe autem multa, ex MSS. collatione adparebit) deſunt quoq; in illo Pſeudoſophronio.* Et paulò poſt: *Sufficiat dixiſſe, Paraphraſin illam Græcam, quæ ſub nomine Sophronii circumfertur, ubiq; eſſe falſam, ubiq; ineptam, & ubiq; impoſturam ſapere. Mihi in nulla unquam Bibliotheca illam paraphraſin MS. videre contigit. Scripſit quoq; nuper Cl. Vir Iſmael Bulialdus, illam non exſtare in Bibliotheca Regia Pariſiis. Nec exſtare uſpiam puto. Aut ſi exſtet, multùm vereor, ne & recentiſſimâ ſit manu exarata, nec CL. annos excedente. Nam etiam recentiſſimi Codices Latini ejus Catalogi multò ſunt meliores iſta Paraphraſi Græca. Sed quid facias Eraſmo? qui cum primus ſit, qui illam ediderit, dicit ſe Sophronii exemplar vetuſtum & emendatum nactum fuiſſe? Niſi Eraſmus hæc diceret, multum de fide ejus rei dubitarem. Suſpicari tamen aliquis non immeritò poſſit, ipſum nobis ſuppoſuiſſe hanc tralationem, idq; animi gratia; vel ut oſtenderet, ſi ſibi fuiſſet voluntas, ſua aliis affingendi, ad hoc neq; defuturum fuiſſe ingenium, neq; eruditionem. Ut nec defuêre hoc noſtro ſæculo virorum inſignium ingenia, quæ ſimilia actitarint, quamvis diſpari ſucceſſu; cum eorum fucus non ita diu potuerit latere, ſed etiam indoctiſſimis quibuſq; ſtatim ſubolverit. Sed credamus potius illum à nebulone aliquo fuiſſe deceptum, qui corruptiſſimum Hieronymi Catalogum nactus, Græcè à ſe redditum, huic Heroi pro antiqua Sophronii Verſione venditarit.* Et poſt plura alia in medium allata, tandem concludit Voſſius: *Quæcunq; diximus, vera, ut puto, deprehendet, ſi quis conſulat MSS. Codices, meliores præſertim, qualis eſt ille, quem memini me obiter vidiſſe Florentiæ, Longobardicis literis exaratum, in Conventu D. Marci.* Cui quidem immortale Univerſitatis Salanæ decus Joh. Andreas Boſius in Schediaſmate de comparandâ Notitiâ Scriptorum Eccleſiaſticorum edit. Jenæ cIↄ Iↄ cLXXIII. Cap. III. p. m. 22. facilè largitur, *Verſionem illam nec vel Sophronii illius cui tribuitur, nec valdè antiquam eſſe. Sed ut ab Eraſmo, aut alio illius ævo confictam credas, adduci non poteſt. Nam cum ex eo quædam iiſdem verbis in Lexico Suidæ legantur; potius eſt ut Suidâ vetuſtiorem credamus.* Tribuitur etiam Hieronymo Epiſtola *de Scriptoribus Eccleſiaſticis ad Deſiderium.* Verùm Bellarminus l. c. p. m. 112. ſtatuit illam

ad Hieronymum non pertinere, *quia ponit inter lumina Eccleſiæ Origenem, Iovinianum, Pelagium, hæreticos: numerat etiam Hilarium Pontificem, qui S. Leoni ſucceſsit, qui diu poſt mortem S. Hieronymi clarere cœpit.* Quid tamen Bellarmino reſponderi poſſit, docet modò laudatus Boſius l.c. p. m. 27. 28. Adſcribitur eidem Hieronymo *Liber de vitis Sanctorum Patrum.* Sed Bell. de Script. Eccleſ. p. m. 113. 114. cenſet *eum librum non eſſe unius Auctoris: Nam in prima parte ponuntur Vitæ Monachorum, quas ſcripſit Evagrius Ponticus de quo ſcribit Sanctus Hieronymus in Epiſtola ad Cteſiphontem, ex illis Vitis ſolam primam eſſe veram, quæ eſt Ioannis Abbatis: Eidem Evagrio tribuit vitas Patrum Gennadius in ſuo Catalogo Scriptorum. Vitis illis ab Evagrio ſcriptis adjunctæ ſunt Vitæ Pauli primi Eremitæ, Hilarionis, & Malchi à Sancto Hieronymo ſcriptæ: item vita Sancti Antonii ſcripta ab Athanaſio: item vita Mariæ Ægyptiacæ à Zozimo edita: item multa ex Collationibus Caſsiani: deniq; Vita Sancti Hieronymi parùm fideliter conſcripta.* Bellarmino conſentiunt D. Gerhardus, Robertus Cocus, Andreas Rivetus, Antonius Poſſevinus, Martinus Schoockius apud Vincent. Placcium l.c. p. m. 209. Hieronymum excepit *GENNADIVS*, qui vixit tempore Anaſtaſii Imperatoris & Papæ Gelaſii, eoſque porrò Scriptores proſecutus eſt, qui ad ætatem ſuam, hoc eſt, ad annum 490. floruerunt, admixtis interim nonnullis ſuperioris ætatis Scriptoribus, quos B. Hieronymus non animadverterat, cujus liber MS. juxtà Hallervordium in Spicilegio p. m. 70. 71. adſervatur in Bibliothecis Vindobonenſi Cæſarea, Regis Chriſtianiſsimi, & Bodlejana. Sigebertus Gemblacenſis de Illuſtribus Eccleſ. Scriptoribus, B. Platina in Symmacho, eum appellant *Epiſcopum Maſsilienſem.* Walafridus autem de Officiis Cap. XX. Honorius de Luminaribus Eccleſiæ n. 100. p. m. 292. Trithemius de Script. Eccleſ. p. m. 135. Sixtus Senenſis lib. 4. Bibl. S. p. m. 250. Geſnerus in Biblioth. p. m. 263. *Maſsilienſis Eccleſiæ Presbyterum* vocant. Sicut & ipſe Gennadius Cap. C. de ſemetipſo ſcribit: *Ego Gennadius Maſsiliæ Presbyter, ſcripſi adverſus omnes hæreſes libros octo, & adverſus Neſtorem libros ſex, & adverſus Pelagium libros tres, & Tractatus de mille annis. De Apocalypſi Beati Iohannis. Et hoc opus de fide mea miſi ad Beatum Gelaſium Urbis Romæ Epiſcopum.* Gennadium tamen *primò Maſsilienſium Presbyterum, poſteà verò Epiſcopum* factum eſſe ſtatuunt Bellarminus de Script. Eccleſ. p. m. 156. D. Gerhardus in Patrologiâ p. m. 449. Hallervordius in Biblioth. Cur. p. m. 101. D. Hottingerus in Bibliothecario Quadripartito lib. 2. c. 4. p. m. 304. dicit, *Ipſi quædam ab Interpolatore fuiſſe addita.* Nec diffitetur Suffridus Petri Epiſtola ad Lectorem ſcribens: *Planè autem Gennadius noſter cum judicio legendus eſt, non ſolùm quod ipſe Scriptores aliquot hic probet, quos reprobavit Eccleſia, verùm etiam quod à Catholicis quibuſdam pro ſtudio nonnulla huic addita ſint medelæ gratia, quæ ad ipſum Gennadium non pertinent.* Bellarminus l. c. p. m. 156. cenſet, *quod in hoc libro de Viris Illuſtribus ſuſpicionem non parvam reliquerit ſua non*

Ritæ fidei. Laudavit enim Caſſianum & Fauſtum, qui SemiPelagiani fuerunt, *& S. Proſperum depreſſit, qui pro gratia Dei contra Pelagium fortiſſimè dimicavit.* Cui Bellarminianæ ſententiæ ſubſcribunt D. Gerhardus in Patrologia p. m. 450. D. Quenſtedt in Dialogo p. m. 63. Gennadium proſequitur *ISIDORUS* è ſtirpe Gothica, Metropolitanus Hiſpalenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Gregorii Magni ab ineunte ætate diſcipulus, Trithemio p. m. 245. Sixto Senenſi in Bibl. S. p. m. 292. Geſnero in Bibl. p. m. 521. Gilberto Genebrardo lib. III. Chronograph. p. m. 262. D. Quenſtedt in Dialogo p. m. 6. *IUNIOR* dictus, ut diſtinguatur ab Iſidoro Cordubenſi, qui Honorii temporibus vixit, hoc eſt, circa annum Gratiæ cccc. D. Oſiandro Epit. H. E. Cent V. lib. IV. Cap. XX. p. m. 490 491. *Vir Græcè & Latinè doctus, Sacrarum literarum inprimis peritus, multa lectionis & laborioſus*, qui circa Annum Chriſti Iↄcx. ſcripſit additionem ad libros Hieronymi & Gennadii, xxxIII. Scriptores complexam, ab Oſio Cordubenſis Civitatis Epiſcopo incipientem, & in Maximo Cæſar Auguſtano finientem. Teſtibus Boſio Introduct. Cap. III. p. m. 24. Hallervordio in Spicilegio p. m. 119. MS. extat in Bibliotheca Vindobonenſi, Cantabrigiæ, Oxonii & alibi. Hildephonſus ſive Ildephonſus ex Abbate Cœnobii Agalienſis Ordinis Canonicorum Regularium ad mœnia Toletana factus Epiſcopus Toletanus; de Illuſtribus Eccleſiæ Scriptoribus, ubi ſcripta Iſidori recenſet, hujus libri non meminit: In Pariſienſi tamen Operum Iſidori editione Ann. 1601. reperitur. Unde Bellarminus de Scr. Eccleſ. p. m. 173. ſuſpicatur, *hunc, ut & alia Opera, non ab ipſo Iſidoro ſcriptum, ſed ab alio aliquo ſuperadditum*. Vide tamen Boſium l. c. Inter genuina quidem Iſidori Opera Hildephonſus refert librum *de Ortu vel obitu Patrum*. Verùm Roberto Coco, Anglo, in Cenſura Patrum p. 421. Spurius habetur. Hinc Card. Baronio Tom. IX. Annal. ad A. Chriſt. 816. n. 50. *Pſeudo Iſidorus* audit. Conf. Meelführer in Corona centum Patrum p. m. 104. Hos, longo licet intervallo, ſecutus eſt *HONORIUS AUGUSTODUNENSIS PRESBITER*, Theodotico Engelhuſio Canonico Hildesheimenſi, in Præfat. Chronici Univerſalis ab Orbe condito ad Annum 1420. quod è Cod. MS. primus Helmeſtadii anno 1671. publicavit Vir Cl. Joachimus Joh. Maderus, *HONORIUS SOLITARIUS* dictus, de Luminaribus Eccleſiæ ſive de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ubi, ut habet præfatio ad Lectorem, *omnes Eccleſiaſticos Scriptores à tempore Chriſti usq; ad ſua tempora nominatim expreſſit, quos ex Hieronymo, Gennadio, Iſidoro, Beda, & aliis cognoſcere potuit.* Quo tempore tamen vixerit Honorius, non eadem eſt omnium ſententia. Bellarmin. l. c. p. m. 244. D. Gerhardus in Patrologia p. m. 590. D. Quenſtedt in Dialogo p. m. 54. Hallervordius in Spicilegio p. m. 95. in Bibliotheca Curioſa p. m. 141. ad annum 1220. referunt. Claruiſſe tamen ſub Henrico V Anno 1120. ſtatuunt Trithemius de Script. Eccl. p. m. 270. Centuriatores Magdeburgenſes Cent. XII. Cap. X. p. m. 1454. Sixtus Senenſis in Bibl. S.

lib.

lib. IV. p. m. 268. Geſnerus in Biblioth. p. m. 360. Bodinus in Method. Hiſtor. p. m. 531. Quibus ſuffragatur Excell. Dn. Boſius l. c. p. m. 25. Ipſe Honorius in fine libri, ubi propria ſua ſcripta enumerat, ſe ſub Quinto Henrico floruiſſe teſtatur. Nullam quidem hujus libri mentionem faciunt Bellarminus & D. Gerhardus, recenſet tamen Suffridus Petri, qui in Præfat. ad Candidum Lectorem judicium ſuum exponit: *Honorius cum Superiorum authorum Epitomen contineat, fortaſſe ſint, quibus rectius omitti videatur, ne iteratio tadium pariat. Quibus quo ſatisfiat, id conſtare oportet, Honorium etiam de ſuo aliquot aliunde ſuo operi adiecisſe, qui apud ſuperiores iſtos non reperiantur. Deinde in ipsâ quoq; horum authorum, quamvis exili anacephalæoſi plerumq; aliquid admiſcuit, quod rebus multum lucis infundat: Prætereà, non modò numerum ſed etiam nomina Scriptorum, apud præcedentes Authores, nobis magnâ ex parte conſervavit, quæ in reliquis emendandis uſui eſſe poſſunt.* Eodem ſeculo, ſed paulò antè Honorium, vixit *SIGEBERTUS GEMBLACENSIS* (ubi Monaſterium Veteres plurimos MSS. habuit libros, ad quos Eraſmus aliique Scriptores ſæpè confugerunt, juxtà Lomejerum de Bibliothecis p. m. 250.) in Brabantiâ Monachus Benedictinus, Trithemio de Sc. Eccleſ. p. m. 270. *Vir in divinis Scripturis à juventute ſua ſtudioſisſimus & multùm eruditus, atq; in ſecularibus literis nulli ſuo tempore in Leodienſium territorio ſecundus*, Sixto Senenſi lib. 4. Bibl. S. p. m. 324. *Poëta ſui temporis celebratisſimus*, qui à Marcello Marci Præfecti Urbis Romæ filio uſque ad Theodoricum Monachum & Abbatem Sancti Trudonis CLXXI. Scriptores exhibet, & Cap. CLXXII. propriorum librorum diligentem & accuratam recenſionem ſubjungit, ubi fatetur, *quod imitatus Hieronymum & Gennadium ſcripſerit ultimum ſuum libellum de Illuſtribus Viris.* Obiit circa annum Chriſti 1112. juxtà Bell. de Sc. Eccleſ. p. m. 215. D. Gerhard. in Patrolog. p. m. 547. Boſium l. c. p. m. 25. Ergò non potuit clarere anno 1130. ut vult Bodinus in Methodo Hiſtor. p. m. 531. Sigebertus hic non reformidavit calamum ſuum ſtringere contra Hildebrandum & Paſchalem Pontifices Romanos. Sic enim ipſemet in recenſione ſuorum Operum cit. cap. CLXXII. *Rogatu etiam prædicti Viri* (Henrici nempe Archidiaconi, & Decani Eccleſiæ S. Lamberti) *validis Patrum argumentis reſpondi Epiſtolæ Hildebrandi Papæ, quam ſcripſit ad Hermannum Metenſem Epiſcopum, in poteſtatis Regiæ calumniam. Scripſi ad ipſum Henricum Apologiam, contra eos qui calumniantur Miſſas conjugatorum Sacerdotum. Ipſo etiam rogante reſpondi Epiſtolæ Paſchalis Papæ, qui Leodienſem Eccleſiam æquè, ut Cameracenſem à Roberto Flandrenſium Comite jubebet perditum ire.* Hinc malè audit Bellarmino l. c. & Leonardo Coquæo, qui Tom. II. AntiMornæi p. m. 30. ſcribit: *Reſpondetur Sigebertum ut Fautorem Henrici 4. Imperatoris, perſecutoris Eccleſiæ, non eſſe magnæ apud nos authoritatis. & in Indice Romano expreſſè prohibetur eius Liber contra Papam Gregorium, & contra Epiſtolam Paſchalis Papæ.* Verùm quænam ſit indignationis

causa

cauſa contra Sigebertum, facilè patet. Vid. Centuriatores Magdeburgenſes Cent. XII. Cap. X. p. m. 1619. 1630. Succeſsit *HENRICUS BONICOLLI*, vel generis nomine *GOEDHALS*, à natali ſolo *GANDAVENSIS* ſive *DE GANDAVO*, aliis à Muda, ſuburbio quondam Gandavenſi, hodiè Pomœrio urbis comprehenſo, *MUDANUS* dictus, Trithemio in Catalogo Illuſtrium Virorum Germaniæ p. m. 142. *Archidiaconus Tornacenſis, Doctor Pariſienſis omnium ſui temporis facilè doctiſſimus, & tàm in Philoſophiâ ſeculari, quàm in divinis Scripturis valdè eruditus, ingenio ſubtilis, & clarus eloquio, diſputator quæſtionum ſcripturarum acutiſsimus, qui ob ingentem eruditionis ſuæ gloriam DOCTOR SOLENNIS appellari meruit.* Scriptores LX. ab Ulberto Carnotenſi Epiſcopo uſque ad Ebrardum Betuniæ oriundum totidem Capp. in medium producit. Undecim enim reliqui, qui in MSS. quibuſdam adjiciuntur, an ejuſdem ſint Henrici, necne, prorſus ignorare ſe fatetur Suffridus Petri, Vir de hactenus enumeratis Scriptoribus in lucem producendis præclarè meritus. Cur hujus libri ſcribendi provinciam in ſe ſuſceperit Henricus de Gandavo, indicat ipſe in Prologo: *Catalogum Virorum Illuſtrium, à Beato Hieronymo inchoatum, & poſt à Domino Sigeberto Gemblacenſi Monacho, uſq; ad ſui ævi tempora diligenter perductum, ad hoc noſtrum tempus ultra extendere, quantum de hujuſmodi ad meam notitiam potuit pervenire, aggreſſus ſum, licet minus ſufficiens rei tantæ: ne cauſentur poſteri mirum fuiſſe, quod ad hoc nullius intenderit diligentia, cum ſcriptorum dignorum memoria poſt Dominum Sigebertum à tempore, quo ipſe ceſſavit ſcribere, ſit Copia ſubſecuta.* Nec hujus libri fit mentio apud Geſnerum in Bibl. p. m. 328. D. Gerhard. in Patrolog. p. m. 616. Verùm non eſt, quod quiſpiam miretur, cum in variis Codd. MSS. nomen omiſſum ſit, & ex Codice ſaltem MS. Taconis Tiaræ Leovardienſis Suffridus Petri agnoverit hujus Operis authorem eſſe Henricum de Gandavo. Geſnerus l. c. ſcribit illum claruiſſe anno 1299. Attamen jam anno (non 1283. ut vult Bellarminus de Sc. Eccl. p. m. 263. ſed) 1293. *Indictione III. ſub Adolpho Imperatore, in die Apoſtolorum Petri & Pauli mortuum, & Tornaci in Eccleſiâ Dei Genitricis ſepultum eſſe,* teſtatur Trithemius, cui conſentit Boſius l. c. p. m. 26. Inter recentiores Palmam omnibus dubiam fecit modò laudatus JO. TRITHEMIUS, Monachus Ordinis Benedictini, Spanheimenſis primò, deinde S. Jacobi Majoris apud Herbipolin Abbas, anno CIƆIƆXVI. die XIII. Decembris defunctus, juxtà Marquardum Freherum à Keſſingen, magni nominis Philologum & JCtum (de quo Melchior Adami in Vitis Germanorum Juriſconſultorum & Politicorum p. m. 473. ſeqq.) Epiſt. Dedicat. Operum Hiſtoricorum Trithemii primæ parti edit. Francofurt. MDCI. præmiſſa ad Reverendiſſimum & Illuſtriſsimum Principem Julium Epiſcopum Wirceburgenſem, Ducem Franconiæ Orientalis, *Abbatum poſt D. Bernardum omnium facilè doctiſsimus, & ævi (quod inolitam ab aliquot ſeculis Barbariem tunc primulùm exuere, divino beneficio reſtitutis bonis litteris, ea-*

rumq; utiliſſimo inſtrumento Typographiâ reperto cœperat) *non poſtremum decus, Vir, qui habuit præter eas dotes, quibus victuros meditantem libros inſtructum eſſe oportet, judicii acrimoniam, ſtili facilitatem, variam lectionem, accurationem & laboris tolerantiam, ad inſtitutum illud condendæ omnifariam hiſtoriæ illa inſuper adminicula, quæ aliorum vix ulli talia ſuppetebant.* Inter Opera ejus Hiſtorica reperitur *Catalogus Illuſtrium Virorũ Germaniam ſuis ingeniis & lucubrationibus omnifariàm exornantium,* ad Jacobum Wimpfelingum Sletſtatinum, Theologum, qui ipſum crebris Epiſtolis & precibus fuerat exhortatus, ut de laudibus Germanorum aliquid conſcriberet, ubi inter alia in Præfatione: *Suſcipe itaq; mi Iacobe Catalogum, quem tantoperè poſtulaſti: eumque lima tuæ caſtigationis & eruditionis corrige: & ſic demum ad aliorum examen venire concede. Nec omnes qui Germaniam noſtram ſuis ingeniis & opuſculis illuſtrem reddiderunt comportaſſe me putaveris: ſed eorum duntaxat memoriam habuiſſe: quorum ſcripta præ occupationibus meis ad manum potui reperire. Paucos recenſui è pluribus, quatenus detractor invidus per iſtos ſentiat, quanti nobis adhuc deſint quos iſte Catalogus minimè portat. Neq; enim mihi cæteros perquirendi dabatur ocium: neq; impenſæ per alios comportandi.* Germanos ceu homines nullius vel eruditionis, vel ingenii, vel judicii traducebant tum temporis Itali. Scribit Matthæus Herbenus Trajectenſis ad Jacobum Beyſelium, Patricium Aquenſem, Epiſtola ex Cœnobio Spanhemenſi XIX. Calend. Septemb. anno virginei partus MCCCCXCV. quæ præfixa legitur Catalogo Illuſtrium Virorum Trithemii, doctiſſimum quendam Philoſophum Italicum dixiſſe, *neminem ſe unquam doctum Germanum præter unum Albertum Magnum legendo uſquam comperiſſe.* Quas cavillationes refellit Trithemius, oſtendens exteris quoque Nationibus non omnia ingenia inter Alpes clauſa videri. Cui adſtipulatur Paulus Jovius Novocomenſis, Epiſcopus Nucerinus, in Elogiis Doctorum Virorum ad Octavium Farneſium p.m. 291. ingenuâ confeſsione ſcribens, *literas non Latinas modò cum pudore Italorum, ſed Græcas & Hebraicas in Germanorum terras, fatali commigratione tranſiiſſe.* Reperitur quoque inter Opera Trithemiana *Catalogus Scriptorum Eccleſiaſticorum, ſive Illuſtrium Virorum* ad Reverendiſsimum Johannem de Dalberg, Epiſcopum Wormacienſem, de quo ipſe in Prologo: *Placuit autem mihi novo ſcribendi modo procedere, ut Lector ipſe notitiam librorum ex principiis facilius poſſit invenire. Incipiens itaq; ab Apoſtolorum diſcipulis, uſq; ad ultimum annum Imperatoris Friderici Tertii, Domini videlicet milleſimum quadringenteſimum ac nonageſimum tertium, Illuſtrium Virorum deduxi Catalogum, in quo non omnium, ſed eorum duntaxat quos reperi nomina, dignitates, ſcripta, temporaq; ſignavi, apponenſq; ex adverſo titulorum voluminum principia, inviſa autem ſpacio pertranſivi. Quorundam tempora quibus claruerunt ad nutum reperire non potui, quos tamen, ut viſum mihi fuerat convenienti loco collocavi.* Suffridus Petri nihilominus Epiſt. Dedicat. ad Authores præcipuos veteres de Illuſtribus Eccleſiæ Scri-

ptoribus

ptoribus notat, *quod Trithemius uno anno ſeriem ulterius prorogaverit, neq; paucos adjecerit ſuperioribus, quos anno 1494. floruiſſe commemorat, quo & ipſum Opus typis eſt excuſum.* Catalogum hunc OPUS CLARISSIMUM vocat Jacobus Wimphelingus Epiſtola ad Trithemium ſcripta ex SPIRIS XV. Calend. Octob. Ann. MCCCCXCII. qui etiam Proſtheſin ſive Additionem Illuſtrium Germanorum ipſi communicavit. Utrique Operi duplicem quaſi Apologiam præmiſit Trithemius, alteram ad Jac. Wimphelingum: *Cur defunctis adhuc in carne Viventes adjunxerit*; alteram ad Albertum Mordeterum: *Cur inter Eccleſiaſticos Scriptores multos ſecularium literarum Profeſſores poſuerit.* Cum continuare hunc Catalogum cuperet Trithemius, uſus fuit opera Pauli Langii Cygnæi, Monachi Bozavvienſis, qui in Chronico Citizenſi (quod Tom. I. Illuſtrium Veterum Scriptorum, qui Rerum à Germanis per multas ætates geſtarum Hiſtorias vel Annales poſteris reliquerunt, habet Joh. Piſtorius edit. Francofurt. MDLXXXIII.) circa finem p. m. 905. 906. exhibet ea de re literas Trithemii *ad univerſos & ſingulos Abbates, Præpoſitos, Priores, cæteroſq; Eccleſiarum Rectores*, in Cœnobio D. Jacobi apud Herbipolim, prima die Menſis Aprilis, Anno Dominicæ Nativitatis MDXV. ſcriptas. Et ſanè, quod egregiè obſervat Suffridus Petri, *extrà controverſiam eſt, multos inſignes Scriptores cum ſummo Reipublicæ detrimento fuiſſe interituros, qui tineis ac blattis pabulo futuri erant, niſi iſti Nomenclatores indicibus ſuis ad inveſtiganda eorum Opera Studioſos excitâſſent.* Hinc cum Trithemii Catalogum vidiſſet Matthias Flacius Illyricus, temperare ſibi non potuit, quin diſſimulata perſonâ & habitu aliquot in Germaniâ Monaſteriorum Bibliothecas perluſtraret, hocque adminiculo eximium iſtum librum, qui dicitur CATALOGUS TESTIUM VERITATIS conſcriberet, de quo Barthol. Keckermannus in Auctario ad Commentarium Hiſtoricum loco ſuprà citato p. m. 1862. Melchior Adami in Vitis Germanorum Theologorum p. m. 475. Joh. Lomeierus de Bibliothecis p. m. 195. Vincentius Placcius Syntagmate de Scriptoribus Anonymis atque Pſeudonymis p. m. 46. Singulis Centuriis Cap. X. *Epiſcopos & Doctores Eccleſiæ, Viros eruditionis & ſanctitatis commendatione celebres*, deſcribunt CENTURIATORES MAGDEBURGENSES, Matthias ſcilicet Flacius Illyricus, Joh. Wigandus, Matthæus Judex, Baſilius Faber, Andreas Corvinus, inter quos Urbis Wiſmarienſis Theologi, Ciceſtrenſis in Anglia Epiſcopi judicio apud Degoreum Wheat p. m. 261. 262. *facinus aggreſſi pulcherrimum, Opus arduum, Herculeam molitionem: qui de diſiectis hinc inde, & vagè varieq; diſperſis ruderibus antiquitatis, colliſa plerumq; diſſipata, & diſſecta, ædificium quoddam inſigne, ac uſu eximium Orbi Chriſtiano conſtruxerunt.* Auctorem præcipuum Hiſtoriæ Centuriatæ Flacium fuiſſe agnoſcunt Card. Bellarminus Chronologiæ libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis adjunctæ parte altera p. m. 571. edit. Labbeanæ Pariſiis ex Officina Cramoſiana MDCLVIII. Ephemerides Eruditorum Gallica-

 nis

ſæ Part. II. p. m. 528. edit. Lipſ. & Francof. MDCLXXI. Utilitatem hujus ſcripti breviter indicant D. Lucas Oſiander, *Vir* Degoreo Whear l. c. p. m. 273. 274. *nequaquam poſtremi nominis, qui octo priores Centurias in compendium ita reduxit, ut nihil ferè rerum ſcitu admodum neceſſariarum omitteretur,* Epiſt. Dedicat. Cent. 1. Epit. Hiſt. Eccleſ. ad Illuſtriſſimum Principem Ludovicum, Ducem Würtembergicum &c. Melchior Adami in vitâ Flacii p. m. 475. Et in vitâ Joh. Wigandi Pomezanienſis in Boruſsiâ Epiſcopi p. m. 608. 609. Iſaacus Caſaubonus Exercitationum de rebus Sacris & Eccleſiaſticis Epiſtolâ Dedicat. ad Sereniſſimum Potentiſſimumque Principem Jacobum Magnæ Britanniæ, Hiberniæ &c. Regem. Joh. Bodinus in Method. Hiſtor. p. m. 535. fatetur, quod *Hiſtoria Magdeburgica Centuriis duodecim* (tredecim debebat ſcribere, quæ Baſileæ, Expenſis Joannis Oporini, Anno MDLXIIII. ſeqq. ſunt editæ)) *à nato Chriſto ad Annum* MCC. (imò uſque ad tempus Adolphi Naſſovii, qui Anno 1292. Imperator Romanorum creatus, & Anno 1298. 6. Non. Jul. commiſsa acie cum Alberto Auſtriaco in agro Spirenſi interfectus fuit, ut è Cap. 1. Centuriæ XIII. & cap. XVI. p. m. 1351. 1352. liquet) *veterum omnium ſcripta Eccleſiaſtica hiſtoria copiosè explicentur.* Licet verò in partibus hujus operis luculentiſsimi nonnulla nonnulli deſiderent, hæc omnia tamen tàm *VASTO OPERI meritò condonanda eſſe* rectè cenſet Auctor Bibliographiæ Hiſtorico- Politico- Philologicæ Curioſæ. Conſentit Epiſcopus Ciceſtrenſis apud Degoreum Whear l. c. p. m. 265. Et cavillatoribus ſuis, quos non defuturos facilè colligere poterant, ſtatim in frontiſpicio, Præfatione in Hiſtoriam Eccleſiaſticam, reſpondent ipſi Centuriatores: *Quod ad Centurias modò à nobis editas attinet, rogamus omnes prudentes, doctos ac pios Viros, ut ubi legerint, nos apertè & ingenuè moneant, de iis quæ ſunt neceſſaria vel ut inſerantur, vel ut emendentur. Nam quis in Opere tam vario, & ubi ſemitam ab aliis tritam non habuimus, tàm eſt Lynceus, ut potuerit omnia rectè obſervare? Erimus autem pro collationibus grati. Interea tamen & hoc rogamus, ut nobis ipſis hæc hiſtoria corrigenda publicè relinquatur. Quod ſi aliquibus labor noſter prorſus improbabitur, ii ex ſuo ingenio novam hiſtoriam cudant: neq; nobis invideant, ſi ſentiamus hanc noſtram operam aliquid adjumenti ipſis allaturam eſſe.* Centuriatoribus Magdeburgenſibus ſuas oppoſuerunt Cenſuras Alanus Copus, Petrus Caniſius, Scultingius, Conradus Brunus, Franciſcus Turrianus, Gilbertus Genebrardus &c. Majori tamen conatu, majoribus etiam præſidiis inſtructus hoc egit XII. Annalium Eccleſiaſticorum Tomis *CÆSAR BARONIUS* ex Congregatione Oratorii, multùm reluctatus ſub dira anathematis pœna ad Purpuram evectus, ut ipſe ſcribit Epiſt. Dedicat. Tom. VII, ubi Clementi VIII. gratias agit *pro dignitate Cardinalatus & munere Bibliothecarii.* Opus hoc fuit *triginta annorum labor,* fatente ipſo Baronio Epiſtol. Dedicat. Tom. 1. ad Sixtum V. Suſceptus autoritate & hortatu Philippi Nerii, ut liquet ex præfat. Tom. VIII. ubi reperitur *pro Annalibus Eccleſiaſticis B. Patri Philippo Nerio Congregationis Oratorii*

Fundatori

Fundatori Gratiarum Actio. Opus, cui Encomiaſticam ſuſpenderunt hederam Lævinus Torrentius Epiſcopus Antverpienſis, Joh. Bochius, Urbi Antverpienſi à Secretis, Conſalvus Ponce de Leon Hiſpalenſis, Franciſcus Bencius, Jeſ. Tar. Tarviſius Congregationis Oratorii Collega, Joſephus Caſtalio &c. Cujus Tomus primus cum lucem vidiſſet, in Italicum Sermonem transferre conatus eſt Franciſcus Panicarola Epiſcopus Aſtenſis & Comes; in linguam Germanicam Marcus Fuggerus, Baro in Kirchberg & Weiſſenhorn, Rudolpho Cæſari à Conſiliis; in Idioma Polonicum per Patres Societatis Jeſu è Collegio Caliſſii fundato & erecto Stanislaus Carncovius Archiepiſcopus Gneſnenſis, Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas, Primuſque Princeps, ut teſtantur Epiſtolæ Tom. I. præfixæ. Cur verò Baronius Centuriatores Magdeburgenſes, contra quos tamen potiſſimùm Opus hoc laborioſum & multarum vigiliarum hinc inde collegit, non nominet, cauſam indicant Ephemerides Eruditorum Gallicanæ Part. 1. p. m. 109. *Hic* (Baronius) *licet Annales ſuos ad oppugnandas Centuriatorum Magdeburgicorum hereſes* (ita quidem Scriptor Pontificius) *& falſitates conſcripſerit, benè tamen in opere ſuo palàm ipſis contradicere cavit; ſed hiſtoriam ſuam purè potius compoſuit, neq; niſi generaliter HÆRETICOS & NOVATORES eos nominavit. Ratio autem qua ita ſe gerere movit eum, hæc fuit, quod putabat, quò minus diceretur de iis, eò eſſe melius. Verebatur enim ne curioſos excitaret, eliceretq; appetitum legendi libri, cujus lectio numquam non periculoſa ſit.* Opus hoc aliàs ſua non carere laude libenter agnoſcunt etiam illi, qui extrà Romanæ Eccleſiæ communionem vixère, Iſaacus Caſaubonus in Epiſt. Dedicat. & Prolegomenis ſuarum Exercitationum, Robertus Ionhſtonus, Scoto-Britannus, in Hiſtoria Rerum Britannicarum edit. in fol. Amſtelod. MDCLV. lib. XVIII. p. m. 582. Degoreus Whear in Relectionibus Hiſtoricis p. m. 268. ſeqq. Autor Bibliographiæ Hiſtorico-Politico-Philologicæ Curioſæ &c. & ſine pari fuiſſet, *ſi merita ſua in Eccleſiam immoderato partium ſtudio non corrupiſſet.* Judicium de illo ſuum aperit Marcus Antonius de Dominis, Archiepiſcopus Spalatenſis, lib. 4. de Republ. Eccleſ. Cap. X. p. m. 687. edit. Londin. ex Officina Nortoniana apud Jo. Billium MDCXVII. Petrus Pithœus ſingulare, dum viveret, Galliarum lumen, ubi primos Baronii Tomos inſpexiſſet, optimo jure dixit: *Non Annales Eccleſiaſticos, ſed de Poteſtate Papæ, verum nomen iſtis Baronii lucubrationibus futurum*, ut refert Caſaubonus Epiſt. Dedicat. ad Jacobum Magnæ Britanniæ & Hiberniæ Regem, ubi quoque monet, *Annales iſtos eò perieuloſius in manibus juventutis & rudium veritatis Lectorum verſari, quo majori arte ſcopum ſuum, in primis præſertim Tomis diſſimulet*, Dum jura Monarchiæ Siculæ, quæ Reges Hiſpaniarum ſibi vendicant, Tom. XI. ſub cenſoriam auderet vocare virgulam, Philippus Tertius Rex Hiſp. contrà illum Publicũ promulgavit Edictum datũ S. Laurent. III Octob. cIↃIↃcx. cui die 17. Septemb.

temb. anni ejuſdem ſubſcripſit Cardinalis Iannetinus Doria &c. Quod legere licet apud eundem Marcum Antonium de Dominis lib. VI. de Rep. Eccl. Cap. VIII. p. m. 263. 264. edit. Francof. 1620. Nimiam hanc licentiam caſtigavit Aſcanius Columna Cardinalis Romanus Baroniique Collega, in judicio ſuo, ubi inter alia: *Quid tibi Eccleſiaſtico Viro Principem corrigenti cum Cornelia lege commune? Hacne præcepta Hiſtoriæ? Hæc tibi debita ſigna benevolentiæ? Hæc Sacroſanctæ ſedis modeſtiam, & Eccleſiaſtici Imperii urbanitatem decent? Equidem id omne, & ab Hiſtorico & à viro tui ſimili, qui ad hunc honoris gradum evectus, præ cæteris ſe Chriſtianum Antiſtitem, pium, religioſum debeat profiteri, quàm maximè alienum puto.* Judicium illud Aſcanii Columnæ exhibet Melchior Goldaſtus Haiminsfeldius Monarchiæ S. R. I. Tom. III. p. m. 616. ſeq. edit. Francof. MDCXIII. In Vexatiſſimâ illâ Quæſtione: *An Iacobus Apoſtolus prædicaverit in Hiſpaniâ?* quam in Martyrologio quidem affirmavit Baronius, in dubium tamen poſteà vocavit Tom. IX. ad Ann. Chriſt. 816. n. 48. 49. ſeqq. contra eundem omnes machinas adhibuerunt Jeſuitæ Hiſpani, Johannes Mariana (quem ipſe tamen Baronius Tom. VIII. Annal. ad Ann. Chriſt. 688. n. 3. *Veritatis amatorem & pietatis optimum cultorem, affectu privato carentem, dignum Profeſſorem Societatis Ieſu* appellat) inter ſeptem Tractatus, qui editi ſunt Coloniæ Agrippinæ Anno MDCIX. Tractatu I. *de Adventu Iacobi Apoſtoli Majoris in Hiſpaniam.* (qui tractatus licet à Joanne Garciâ Præpoſito Societatis Jeſu in Provincia Toletana, Madriti die 24. Novemb. MDCVI. approbati, Romæ nihilominus Cenſura notati ſunt, ut patet ex Indice librorum prohibitorum Alexandri VII. P. M. juſſu edito juxtà Exemplar excuſ. Romæ ex Typographiâ Rev. Cameræ Apoſtolicæ cum Privilegio MDCLXVII. ubi p. m. 205. 206. legimus: *Præter hos omnes ſuprà notatos, qui omnes prohibiti ſunt, Liber inſcriptus Ioannis Marianæ è Societate Ieſu Tractatus ſeptem, Coloniæ Agrippinæ impreſſ. ſumptibus Antonii Hierati Ann. 1609. ſuſpenſus eſt*) Caſpar Sanctius, Centumputeolanus, *Diſputatione de prædicatione S. Iacobi Apoſtoli Zebedæi filii in Hiſpania, in tres Tractatus diſtributâ, Quibus accedit Quartus de prædicatione Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli in eâdem Provincia*, edit. Colon. apud Joannem Crithium, ſub ſigno Galli Ann. 1617. In notiſſima Controverſia Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ contrà Paulum V. R. P. eidem Cardinali ſeſe publicis oppoſuerunt ſcriptis Joannes Marſilius Theologus Neapolitanus, Alexander Lyſca Jc. & Patricius Veronenſis, Nicolaus Craſſus Junior, Venetus Civis, Philoſophus & J. U. C. Quorum Tractatus habet Melchior Goldaſtus cit. Tom. III. Monarchiæ S. R. I. p. m. 374. ſeqq. 391. ſeqq. 414. ſeqq. Et Monarchia Sicula à Baronio impugnata, non poſtrema cauſa fuit, cur poſt obitum Clementis VIII. conſpiratione Cardinalium factionis Hiſpanicæ ad Summum Pontificatus faſtigium ille non fuerit evectus, qua de re notatu digna legere licet apud Jacobum Auguſtum Thuanum Tom. III. Hiſtor. lib.

CXXIV.

cxxiv. p. m. 1078. edit. Francof. clɔ Iɔc xxi. Conferatur Jonhſtonus Rerum Britannicarum Hiſtor. lib. XII. p. m. 416. 417. Ad Baronii Prolegomena in Annales & primam eorum partem de D. N. Jeſu Chriſti Nativitate, Vitâ, Paſſione & Aſſumptione, Exercitationes XVI. ſcripſit *ISAACUS CASAUBONUS*, Melchioris Goldaſti calculo in Epiſtol. Dedicat. ad Reverendiſſimum & Illuſtriſſimum Principem Johannem Fridericum, Archiepiſcopum Bremenſem, Epiſcopum Verdenſem, Hæredem Norvegiæ, Ducem Holſatiæ &c. Tom. III. Monarchiæ S. R. I. præmiſſa, *inter homines doctiores, quos nunc plurimos terra Chriſtiana ſuſtinet, facile Princeps.* Totum Baronium ſibi examinandum propoſuerat, ut videre licet ex Epiſtolâ Iɔ C LXIV. ad Georgium Michaëlem Lingelshemium, Sereniſſimi Electoris Palatini quondam Conſiliarium Intimum p. m. 840. *Duodecim Tomis totidem libros oppono : neq; intactum quicquam relinquo. Pudet dicere, quas fraudes Viri gravis deprehendam, & quàm frequentes. Sed mihi propoſitum eſt ita ſtylum temperare, ut modeſtiam meam omnes ſint laudaturi. Nihil ego fingam in odium Pontificis, quod fit à multis quotidiè : nihil detraham judicio veteris Eccleſiæ, quam toto affectu veneror, neq; tamen omittam aliquid, quod jure poterit culpari.* Verùm Caſaubonus anno MDCXIV. I. Julii tabido morbo extinctus penſum abſolvere nequiit, cujus cineribus vehementi calamo impotenter inſultat Leonardus Coquæus in Anti Mornæo Tom. II. p. m. 341. 342. Ad exitum uſque ſeculi XII. Annales ſuos deduxit Baronius. Cum tamen Annó ætatis 78. m. 8. pridiè Kalend. Julii 1607. Romæ mortuus ad finem perducere non poſſet, *Congregationis Oratoriæ Presbyteris*, ita Ephemerides Eruditorum Gallicanæ Part. III. p. m. 743. 744. *continuandi Operis curam reliquit, Memoriasq; ſuas omnes, & præparatoria ipſis conceſsit omnia, quæ tanto propoſito exequendo ſibi paraverat. Quo adminiculo adjutus P. Odoricus Raynaldus ejuſdem Congregationis Presbyter, Annales iſtos ad Annum uſq; 1534. continuavit, & ſecundum exemplum Baronii Conſiliumq;, quod Cardinalis ſcriptum reliquerat Succeſſori futuro, fundamenta Operis ſui poſuit Archiva Vaticani, eorumq; præcipua hiſce libris inſeruit.* Ante hunc Odoricum Raynaldum tamen, inſtinctu Cardinalis Alexandri Montalti R. E. Pro-Cancellarii, & Regni Poloniæ Protectoris *ABRAHAMUS BZOVIUS*, Polonus (non *è Societate Ieſu*, ut perperàm ſcribit Autor Bibliographiæ Hiſtorico-Politico-Philologicæ Curioſæ, ſed) *Ordinis Prædicatorum*, Annales Baronii ab Anno Chriſti MCXCVIII. uſque ad ſua tempora deduxit. Scopum ſuum ipſemet indicat in Epiſtola Dedicat. ad Paulum V. R. P. & Præſcriptione ad Lectorem de cauſa & fine ſcriptionis, ubi inter alia: *Tantum abeſt mea ſcriptio à ſpecie adulationis, quantum abfuit vel Baronii, vel mea à neceſsitate : & tantum diſtat à criminandi deſiderio, quantum utriusq; à mentiendi vel imponendi libidine : cum mihi pariter is unicus finis, & CONTUMACIA fortè non ignobilis, veritatem inquiſiviſſe, calumnias & mendacia detergere,*

Vires

Viros dignitatibus, ſanctitate, doctrinâ, rebus præclarè geſtis illuſtres in ſuo vultu oſtendere, teterrimaſq; Conſceleratorum umbras, non meo, verùm ſuorum, vel Claſſicorum auctorum penicillo adumbratas, exumbrare. Non nihil (puto) tantâ inopiâ verborum, ut non etiam meis rem univerſam potuerim concipere. Cæterùm alienis plerumq; & præcipuè eorum, qui vel publica fide ſcripſerunt, vel primæ Claſſis Ordinem meruerunt, repræſentare res conſtitui: ne quis me eas aut finxiſſe, aut aliter quàm acciderant expoſuiſſe, vel aliquid ſive gratiæ, ſive ſectori affectui dediſſe exiſtimet. A Digreſſionibus & notis abſtinui, conciones, criminationes, & quicquid lædorium eſt devitavi, nec niſi unico veritatis deſiderio, meam levidenſem operam conſecravi. Verùm, quicquid hîc ſcribat Bzovius, non deſunt inter ipſos Pontificios, qui fidem illius haud immeritò in dubium vocent. Ludovicum Bavarum Imperatorem, quem virulento perſtrinxit calamo, juſſu Sereniſſimi Maximiliani Ducis & poſteà Electoris Bavariæ, contra Bzovianas calumnias defendit Joh. Georgius Hervvart ab Hohenburg, Bavariæ Cancellarius, peculiari tractatu Monachii 1618. in 4. edito. Refert Janus Nicius Erythræus, ſive (qui ſub hoc nomine juxtà Placcium de Scriptis & Scriptoribus Anonymis atque Pſeudonymis p. m. 230. latet) Vittorio de Roſſis, Nobilis Romanus, Aulicus Cardinalis Peretti, in Pinacothecâ Part. I. p. 198. *poſtulante Bavariæ Duce, & tantam Domui ſuæ injuriam factam querente, Bzovium Judicum ſententiis abolere, quod ſcripſerat, ac Ludovicum in integrum reſtituere coactum eſſe.* Quod ex illo notat Vir Cl. Georgius Matthias Königius in Bibliotheca veteri & nova p. m. 147. Joannis Scoti, ſubtilis illius Franciſcanorum Doctoris, contra eundem Bzovium patrocinium in ſe ſuſcepit H. Cavellus, ejuſdem Ordinis, in Apologia de vita & morte Joannis Duns Scoti, ubi cenſuram quoque haud incelebris cujuſdam Cardinalis Romani adducit, & apertè ſcribit, *Bzovium in ſuis Annalibus quoad potuit ſtuduiſſe, ut pacem, quæ conſtituta eſt inter Prædicatorum & Minorum familiam, turbaret & amicitiam violaret.* Cui Nicolaus Janſſenius, Belga, Ordinis Prædicatorum, oppoſuit Animadverſiones & Scholia in Apologiam nuper editam de Vitâ & morte Joannis Duns Scoti, adverſus R. P. F. Abrahamum Bzovium, ejuſdem Ordinis SS. Theol. Magiſtrum, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptorem. Non ſine bile, nec abſque multorum inter ipſos Pontificios offendiculo diſceptatio hæc inſtituta fuit in Belgio, adeò ut Laurentius Beyerlinck S. T. L. Archipresbyter Antverpienſis & librorum Cenſor ad Nicolaum Janſſenium VII. Kalend. Auguſti, ann. MDCXXI. ſcripſerit: *Optandum foret præſertim in his regionibus hæretico hoſti vicinis, ut Religioſi charitatis vinculo exſiſterent colligati potius, quàm ita in ſe mutuò ſcribendo inſurgerent, & veritatem nudè abſq; ſtomacho & maledictis aſſererent.* Videatur Continuat. Annalium Eccleſiaſticorum Appendix ad Tom. XVII. Lectu tamen digna æſtimo, quæ Tom. XVIII. Bzovius prolixiſſimè habet in laudem *Hieronymi Savonarolæ*, Ferrarienſis, qui anno

MCCCCXCIIX,

MCCCCXCIIX. x. KL. Junii,ætatis XLV. Menſ. IIX. Florentiæ vivus primùm ſtrangulatus, ac deinde mortuus cum duobus Sociis, poſtulatu Alexandri VI. R. P. exuſtus fuit, de quo non ſolùm Italiæ, ſed penè totius Europæ varia fuerunt judicia. Petrus Martyr Anglerius Mediolanenſis, Protonotarius Apoſtolicus, Prior Archiepiſcopatus Granatenſis, atque à Conſiliis Rerum Indicarum Hiſpanicis, qui iſto tempore vixit, in Opere Epiſtolarum, quod anno MDXXX. Compluti in Hiſpaniâ Typis Michaelis ab Eguia prodiit, & cura Illuſtriſſ. Viri Guillelmi Lamonii, Senatus Gallicani Principis, Amſtelodami Typis Elzevirianis ann. cIↄ Iↄc LXX. recuſum eſt, Epiſt. CXCI. Eneco Lupo Mendotio Tendillæ Comiti inſcripta Compluti pridiè Calendas Junias MCCCCXCVIII. p. m. 110. de illo: *Is bonus Vir in Pontificis delapſus excandeſcentiam, per Iudices Apoſtolicos ab Alexandro miſſos igni, velut hæreticus traditus eſt. Advertito, quas fabellas ordiatur, quando iocari intendit hæc petulans rerum mortalium Domina, & expergiſcere aliorum exemplo. Non deſunt tamen, qui fratris illius doctrinam & mores miris laudibus extollant, invidiaq; in eum fuiſſe, non meritis inquiunt ſævitum. Nos quæ accepimus ab Vrbe, præbemus.* Meminerunt Savonarolæ Philippus Cominæus lib. III. de Bello Neapolitano p. m. 147. & lib. IV. p. m. 175. 176. edit. Francof. MDLXXVIII. Joannes Serranus in Inventario Hiſtoriæ Francicæ, quod in Latinum Sermonem tranſtulit Marcus Caſſiodorus Reinius, in Carolo VIII. Galliarum Rege p. m. 394. edit. Francof. MDCXXV. De illo judicium ſuum ſuſpendere videtur Paulus Jovius in Elogiis Doctorum Virorum p. m. 99. 100. Virulento perſtringit calamo Martinus Del-Rio lib. IV. Diſquis. Magic. Cap. 1. Quæſt. III. Sect. VI. p. m. 153. Verùm Joannes Franciſcus Picus S. R. I. Comes Mirandulæ ſcripſit *Apologiam pro Hieronymi Savonarolæ Viri Prophetæ innocentia in duos diviſam libros ad Illuſtrem Virum Herculem Æſtenſem*, quam exhibet Melchior Goldaſtus Tom. II. Monarchiæ S. R. I. p. m. 1635. ſeqq. Epitaphium in patrocinium ejus innocentiæ poſuit M. Anton. Flaminius, ut videre eſt apud Franciſcum Sweertium in Selectis Chriſtiani Orbis Deliciis p. m. 389. Laudibus extollit Sixtus Senenſis lib. 4. Bibl. S. p. m. 259. Inter *Illuſtres Dominicanos Scriptores* refert Renatus Chopinus, in Supremo Pariſiorum Senatu Advocatus, Monaſtic. ſive de Jure Cœnobitarum lib. 1. p. m. 22. edit. Pariſ. MDCXXIV. Succenſet quidem Philippo Mornæo Leonardus Coquæus in Anti-Mornæo T. II. p. m. 310. quod contra Pontificios Savonarolam ſibi vendicare conetur. Attamen quæ doctrina ipſius fuerit, indicat Catalogus Teſtium Veritatis p. m. 1914. edit. MDCVIII. Anxiis illum votis *Curiæ Romanæ & Eccleſiæ Reformationem deſideraſſe*, ex ipſo Bzovio variis teſtibus luculenter probare poſſem, niſi ad alia mihi properandum eſſet. *DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS* egregium & utiliſſimum librum poſteritati reliquit *ROBERTVS BELLARMINVS*, Marcelli II. Papæ ſororis, Cynthiæ Cervinæ filius, quem Clemens VIII. ut

 refert

refert Petrus Ribadeneira in Catalogo Script. S. I. p. m. 211. *neq́, appetentem, neq́, ambientem, immò verò abhorrentem atq́, repugnantem in Collegium Cardinalium anno ſalutis MDXCVIII. die tertiâ menſis Martii cooptavit*, & quidem hoc elogio: *Hunc eligimus, quia non habet parem Eccleſia Dei quoad doctrinam; & quia eſt Nepos optimi & Sanctiſsimi Pontificis*, teſte Joanne Nadaſi in Anno dierum Memorabilium Societatis Jeſu Part. II. p. m. 171. edit Antverp. MDCLXV. Cui Romæ 17. Septemb. anno ſalutis MDCXXI. ætatis ſuæ LXXIX. defuncto, juxtà Robertũ Ionhſtonum Rerum Britannicarum Hiſtor. lib. XVIII. p. m 582. *funus frequentiâ maximâ civium, conventu celeberrimo Cleri, Splendore Purpuratorum, & miris laudibus celebratum eſt Corpus in Æde Ignatianorum Romæ conditum, ſepulchrum floribus ornatum, ad celebrandam ejus memoriam*; Monumentum etiam poſitum ab Odoardo Card. Farneſio, quod habet Dodo Richea in Theatro Funebri Part. I. p. m. 99. edit. Salisburg. MDCLXXIII. Parùm equidem ex merito videtur æſtimare hunc librum Petrus Waſtelius, Ordinis Carmelitani, in Vindiciis Joannis Hieroſolymitani &c. dum ſtatuit *voluiſſe Cardinalem Bellarminum eandem autoritatem haud habere librum de SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS cum libris ſuis aliis, tanquam digeſtum potius in uſum proprium, quàm in præjudicium eorum, quæ monſtrari poſſent veriora.* Sed contrarium teſtatur ipſe Bellarminus Præfat. ad Lectorem edit. Colon. MDCXLV. *Hic meus liber, me partim neſciente; partim etiam nolente, & prohibente, ad manus multorum devenit. Quare ne fortè poſt obitum meum in lucem edatur imperfectus & mutilus, ut ſolent ejuſmodi libri frequenter emitti; eam in hâc meâ ultimâ ætate recognovi, expolivi, & auxi, atq́, in lucem dare conſtitui, ut vel COMMUNI UTILITATI deſerviat, vel ſaltem inemendatus, & imperfectus neminem offendat.* In illius Encomium Andreas du Sauſſay Pariſinus, Epiſcopus & Comes Tullenſis &c. in Continuatione Inſignis libri de Scriptoribus Eccleſiaſticis Eminentiſſimi Cardinalis Bellarmini, ab anno 1500. in quo deſiit, ad annum 1600. quo incipit ſequentis ſæculi Exordium, edit. Tulli Leucorum, apud Joannem, & Joan. Fr. les Laurents, Patrem & filium, Regis Chriſtianiſſimi, necnon Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. præfati D. Epiſcopi & Comitis Tullenſis Typographos MDCLXV. p. m. 181. ſcribit: *Cæterùm ſi quis unquam poſt Sanctum Hieronymum meruit Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum adſcribi, fuit ipſe Bellarminus, qui tàm doctè & prudenter illorum ſeriem contexuit; tulitq́, de eorum Scriptis, & ipſis Scriptoribus rectum judicium: ut hoc ejus Opus, mole quidem tenue, inſtar Operum ejus omnium, non abs re cenſeri poſſit: ſiquidem fuit quaſi palmare Opus eius; nullumq́, edidit pondere gravius, ſenſu uberius, verbis ſuccinctis, & conciſis luculentius & accuratius.* Sanè Bellarminus hoc ipſo libro detrahit anterioribus ſuis Scriptis, cum paſsim in eo oſtendit, libros, quos tanquam genuina Patrum monumenta in Tomis Controverſiarum contra Adverſarios produxit, eſſe aut dubiæ fidei, aut ſuppoſititios, ut collatione inſtituta pluribus exemplis oſtendit Theologus Summus D. Joh.

Geor-

Georgius Dorſcheus in Kirchero Devio ſive Hodegetico Catholico p.m. 83. ſeqq. edit Argentor. MDCXLI. Inter alia tamen, quæ in hoc libro deſiderantur, & hoc notat Excell. Boſius l. c. p. m. 16. *multos illum Nobiles Scriptores, jam tum, cum hunc librum recenſeret, editos omiſiſſe, quod ab HÆRETICIS, id eſt EVANGELICIS, publicati fuerant.* Bellarminus equidem, cum duntaxat quindecim à nato Chriſto ſeculorum, ad annum nempe 1500. Scriptores exhibeat, nec *LUTHERI*, nec Doctorum, qui vulgò *LUTHERANI* dicuntur, in Catalogo ſuo peculiariter mentionem facit, licet in Chronologia, & in Controverſiarū Tomis virulentam bilem adverſus illos effundat. Videatur ſaltē Oratio ejus in Scholis habita, & Diſputationū Tom. IV. edit. Ingolſtad. MDCI. poſt Epiſtolam Dedicat. ad Clementem VIII. & Præfat. ad Lectorem inſerta, ubi *Apoſtolum & Evangeliſtam Iohannem LUTHERUM per ſtellam de cælo cadentem, LUTHERANAM DOCTRINAM per fumum de Tartaro aſcendentem; ipſos autem LUTHERANOS per exercitum innumerabilium locuſtarum ita ſuis coloribus, ita ad vivum, ita luculenter expreſſiſſe* fingit, *ut nihil dici potuiſſe videatur apertius.* Verùm quid Evangeliſtarum Aquila per *ſtellam de cælo cadentem*, *fumum de Tartaro aſcendentem*, *locuſtarum exercitum* intelligat, egregiè docet D. Matthias Hoe Commentariorum in Apocalypſin B. Apoſtoli & Evangeliſtæ Johannis lib. III. p. m. 123. ſeqq. edit. Lips. MDCXI. Qui verò Hiſtoricos ſubſequentium temporum Commentarios, aut Scriptorum Catalogos contexuerunt, *Proteſtantes Auguſtanæ Confeſſioni addictos* vel indignos, quos recenſeant, cenſent, vel non ſine conviciorum plauſtris in Theatrum producunt, defunctorum Manes crudeli carmine lacerare, & *mortuis leonibus lepores interdum inſultare* non verentur. Scripſit SIXTUS SENENSIS, Ordinis Prædicatorum, Vir Thuano Tom. I. Hiſtor. lib. XLVI. p. m. 874. *erudita diligentia*, Bibliothecam Sanctam in octo libros digeſtam, quæ Venetiis 1566. Francofurti 1575. Coloniæ 1586. Lugduni nova tabula Chronographica, quin & alicubi Scholiis illuſtrata à Joanne Hayo Societ. Jeſu Theologo 159., & 1592. ſumptibus Sibyllæ à Porta, Pariſiis apud Rolinum Theodoricum 16.0. excuſa. In Præfatione quidem *LUTHERUM* cum aliis refert inter *prophanarum novitatum Autores.* Verùm lib. IV. ubi agit de *CATHOLICIS DIVINORUM VOLUMINUM EXPOSITORIBUS*, duos reperio *LUTHERI ASSECLAS*, nempe *LUCAM LOSSIUM* & *MATTHÆUM AUROGALLUM*. De Luca Loſſio notat p. m. 294. edit. Francof. ex Officina Typographica Nicolai Baſſæi MDLXXV. *Lucas Loſsius ſcripſit Annotationes Scholaſticas in Evangelia Dominicalia, & ea, quæ feſtis diebus leguntur: adjecitque in ſingula Evangelia diſticha argumenta, doctrinæ Summarias, locos & objectiones cum ſolutionibus Dialecticis.* De Matthæo Aurogallo p. m. 295. 296. *Matthæus Aurogallus, natione Germanus, trium linguarum peritiſſimus, Euſebium æmulatus edidit librum de Hebraicis urbium, regionum, populorum, fluminum, montium, &*

aliorum

aliorum locorum nominibus, quæ in Sanctis Scripturis leguntur: in quo omnes appellationes Hebraicis characteribus per Ordinem Alphabeti diſpoſuit, citatis ſingulis divinæ Scripturæ locis, in quibus ipſa nomina inveniuntur. Liber incipit, Cum nuper mecum &c. Claruit ſub Carolo V. Auguſto, anno Domini MDXXVI. Utrumque verò horum doctrinæ Proteſtantium addictum fuiſſe, ſatis abundè liquet. Lucas enim Loſſius Hermanni Tulichii, Steinheimenſis, qui Witebergæ Luthero familiaris, Academiæ illius Rector fuerat, & cui *Captivitatem Babylonicam* Lutherus dedicaverat, in Schola Lunæburgenſi poſteà Directoris Collega & Succeſſor, annos amplius quinquaginta ſtudiis & moribus teneræ ætatis formandis utiliſſimè inſerviit, defunctus anno Chriſti milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſecundo, die octavo Julii, ætatis ſeptuageſimo ſeptimo, ut teſtantur D. Chytræus in Saxonia lib. XIII. p.m. *326*. Melchior Adami in Vitis Germanorum Philoſophorum p. m. *309*. Meminêre hujus ſcripti Geſnerus in Biblioth. p. m. *548*. Adami l. c. Matthæus verò Aurogallus Hebrææ linguæ in Academia Witebergenſi Profeſſor excelluit, ejuſque operâ Lutherus in Bibliis edendis uſus eſt, cujus etiam libri à Sixto Senenſi citati mentionem facit Geſnerus in Biblioth. p. m. *589*. Non vana ſuſpicio eſt Sixtum Senenſem credidiſſe hos Scriptores fuiſſe Pontificios, cum partim in titulo ſuæ Bibliothecæ, partim Præfat. lib. IV. *Catholicos* tantùm polliceatur *Expoſitores*, quorum nomine *Lutheranos* haud dignos æſtimant οἱ ἐξ ἐναντίας. *LAURENTIUS SURIUS* Carthuſianus divulgavit Commentarium brevem rerum in Orbe geſtarum, ab anno ſalutis milleſimo quingenteſimo uſque ad annum LXVI. qui etiam Coloniæ apud hæredes Ioannis Quentel & Gervinum Calenum eodem anno eſt editus. Cujus hoſtilis animus in convicia paſſim deſpumare ſolet. *IOANNIS SLEIDANI* Commentariorum de Statu Religionis & Reipubicæ, Carolo V. Cæſare, libris XXVI. ſe ſuum oppoſuiſſe Commentarium teſtatur ipſe Surius Epiſtol. Dedicat. ad Reverendiſſ. & Illuſtriſſ. Principem Johannem Archiepiſcopum Trevirenſem, S. R. I. per Galliam Archicancellarium, Principem Electorem ſcribens: *Potuit me, ut iſtam ſcribendi provinciam ſumerem, non immeritò vel ſolus Iohannes Sleidanus provocare, qui ſuis illis præclaris Commentariis ita ſcribit hiſtoriam, ut interim partes Luteri & Sectariorum noſtri temporis omni arte & ſtudio tueatur, & ſub hiſtoriæ prætextu, virus hæreſum longè peſtilentiſſimum toto orbe diſpergat in certam multorum perniciem, qui ejus fraudes & mendacia neſciunt deprehendere. Scio & ante me ab aliis datam eſſe operam, ut eorum Commentariorum vanitas proderetur: ſed nihil obſtat eodem in argumento etiam plurimos verſari &c.* Conſentit Andreas du Sauſsay Continuat. Bellarm. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, qui Laurentium Surium primo loco ponit. p. m. 2. *Alterum Opus immortalitate haud minus dignum exaravit, nempe Chronhiſtoricum Commentarium de rebus in Orbe Chriſtiano geſtis ab anno milleſimo quingenteſimo uſq; ad ætatem ſuam: quem librum*

librum pro Antidoto, *contra Ioannis Sleidani*, *Lutheranorum mendaciſsimi Hiſtorici ſcripta, obiecit, ſilentiumq́ ei perenniter impoſuit.* Sed quomodo, per Deum immortalem! ſilentium imponere potuit, cum Jo. Sleidanus Argentinæ, Octobris die ultimo, anno Chriſti quinquageſimo ſexto, ætatis quinquageſimo, ſcribendi & vitæ finem fecerit, teſte Melchiore Adami in Vitis Germanorum Philoſophorum p. m. 177. Surianus verò Commentarius demùm decennio poſt, anno nempe 1566. Coloniæ prodierit, illumq́ue Sleidanus nec legere, nec Apologiam contra eundem ſcribere potuerit? Nolo hîc floſculos Surianos non rore, ſed maledicentiæ veneno imbutos, contra Lutheranos, ubiq́ue ferè luxuriantes decerpere, cum ipſe Surius in Epiſt. Dedicat. haud diffiteatur, *locis non paucis ACRITER iſtorum dogmata & conatus in ſuo Commentario perſtringi.* De Sleidano tamen aliter cenſet Jo. Bodinus, Scriptor licet Pontificius, in Method. Hiſtor. Cap. IV. p. m. 67. Jacobus Auguſtus Thuanus Tom. I. Hiſt. lib. II. p. m. 38. ſcribit, *ſe ejus fidei & diligentiæ multum tribuere.* Et lib. XVIII. p. m. 348. vocat *Virum eruditione & rerum agendarum peritiâ clarum, qui hiſtoriam exactâ fide & diligentiâ pertexuerit, & tot rerum, quas geſſerat, aut à fide dignis acceperat, notitia fretus Commentarios ſcribere aggreſſus ſit.* Ut contrà alios, ita quoq́ue adverſus Surium defenſionem Sleidani ſuſcepit Polyhiſtor. & Jc. incomparabilis Fridericus Hortlederus, Vinarienſis quondam Conſiliarius, In der Römiſchen Käyſer, und Königlichen Majeſt. Auch des Heil. Röm. Reichs Geiſtlicher und Weltlicher Stände/Churfürſten/Fürſten/Graffen/Herren/ Reichs, und anderer Stätte/ inſampt der Heiligen Schrifft/ Geiſtlicher und Weltlicher Rechte Gelehrten Handlungen und Außſchreiben ꝛc. Epiſt. Dedicat. ad Sereniſsimum Fridericum Seniorem Ducem Saxoniæ &c. edit. Francof. 1618. GILBERTUS GENEBRARDUS, Profeſſione Benedictinus, Theologus Pariſienſis, Divinarum Hebraicarumq́ue literarum Profeſſor Regius, Chronographiæ libros Quatuor edidit Pariſiis apud Michaelem Sonnium, viâ Jacobeâ ſub ſcuto Baſilienſi 1580. cum Privilegio Regis. Sed ita, judice Keckermanno in Auctario ad Commentarium Hiſtoricum Cap. IV. l. c. p. m. 1872. *ut hiſtoriæ & Hiſtorici leges in pluribus violent, atq́ adeò impotentiam affectuum effrenem iſtius Viri demonſtrent.* Lib. III. p. m. 207. ſcribit *Lutheranos & Calvinitas eſſe Novatianorum ſeu Catharorum Spurios.* p. m. 257. *Ipſorum ſectam rectà ad Mahometem ſpectare, nec ullam unquam fuiſſe Mahometiſmo propiorem.* Lib. IV. p. m. 406. de Luthero: *Aliqui eum AntiChriſtum eſſe contendunt, quod ſit caput & Patriarcha hæreticorum in Occidente, qui ſe toti armarunt contra Chriſti doctrinam & beneficiorum ejus memoriam &c.* p. m. 456. 457. de Centuriatoribus Magdeburgenſibus, quod *divulgaverint Centurias errorum, mendaciorumq́ pleniſsimas, & ſtuduerint immanibus illis voluminibus non hiſtoriam ſcribere, ſed fabulas, ut Pontifices traducerent.* In Epiſtol. Dedicat. ad Arnaldum Pontacum, Vaſatenſem Epiſcopum,

pum, mentionem facit *SHVBERTI ECCLESIASTIS SPIRENSIS*, quem fruſtrà & ridiculè *DAVID CHYTRÆVS commendet, juxtà vetus verbum, ſe mutuò muli ſcabunt.* Scripſit hic *CLEMENS SCHVBERTVS*, Luſatus, *SCRVPVLOS CHRONOLOGICOS*, quos diverſis S. R. I. Statibus dedicavit, & adhuc hodiè, non ſine laude Virorum Eruditorum, in pretio habentur, ut de illo in Concione Funebri Dn. Chriſtophori Algeieri, Eccleſiæ ad D. Auguſtin. Miniſtri ann. 1611. 3. Martii habitâ refert Dn. Nicolaus Phryſius ad D. Georg. Paſtor, quam Vir Plur. Reverendus & Præcellentiſsimus Dn. *IOHANNES PETRVS VVEIDMANNVS*, Miniſterii Senior, Eccleſiæ ad D. Auguſt. Paſtor, Conſiſtorii Adſeſſor, Gymnaſiique noſtri Inſpector meritiſsimus mecum communicavit. Fuit hic *SCHVBERTVS* poſt Heinricum Ringelſteinium Succeſſor *IACOBI SCHOBERI*, qui Magnifici & Ampliſsimi Reipublicæ hujus Magiſtratus juſſu, inter primos publicè ſecundum doctrinam Auguſtanæ Confeſsionis docere cepit, & lapidis Sepulchralis in defuncti honorem poſiti Epigraphe in Templo Auguſtiniano talis legitur: Anno Domini MDLVIII. Donnerſtag Purificationis Mariæ ſtarb der Würdig und Wohlgelehrt Meiſter Jacob Schober / eines Erbarn Raths der Stadt Speyer beſtellter Prædicant und Kirchendiener / der ſich mit verkündung des Worts Gottes / und reichung der Heiligen Sacramenten / Chriſtlich und wohl gehalten / dem Gott genad. De quo Anno MDCLXII. in *Severino Anniverſaria Feſtivitate à S.P.Q. Spirenſi celebrato*, ſive Programmate XIIX. Octob. P.P. egi. Hinc ob hanc virulentiam Andreas du Sauſſay Continuat. de Scriptoribus Eccleſiaſticis p. m. 163. Genebrardum *alterum Hieronymum & hæreticorum hoſtem acerrimum* vocat. De illo tamen Thuanus Tom. III. Hiſtor. lib. xcv. p. m. 279. 280. refert, *quod per inteſtinos Galliæ motus à Gregorio XIII. Pontifice Aquenſis Archiepiſcopus creatus, unà cum Gul. Roſa Silvanecti Epiſcopo, Ioanne Ginceſtrio, Ioanne Hamiltonio, P. Bernardo è Foliacenſi Ordine nuper recenſito Monacho, Chriſtophoro Auberio, Petro Chriſtiano, Gulielmo Lucino, Mauclerico, Iacobo Commoleto Ieſuita, Ioanne Guarino, Iacobo Cuellio, Pithenatio, Franciſco Fevardentio Franciſcano, voce, ſcriptis fœderatorum cauſam adjuverit, & DETESTANDA IMPIETATE in pravum ſenſum recta S. ſcripturæ interpretatione detorta populorum animos à Regis* (Henrici III.) *obſequio alienos in rebellione confirmaverit.* Et lib. cvi. p. m. 542. *Gilbertus Genebrardus, qui ſe pro Archiepiſcopo Aquenſi gerebat, ex altercatione in verba contumelioſa contra Hieronymum Hennequinum Sueſsionenſem Epiſcopum exarſit, eum & Æmarum ipſius fratrem Rhedonum Epiſcopum tepentem & in bona cauſa prævaricatorem dictitans. De quibus cum poſtea illi conqueſti eſſent, Genebrardus quàm temerè verba protulerat, tàm turpiter ſceda etiam tradita propria manu ſubſcripta poſt aliquos dies recantavit.* Et lib. cxix. p. m. 816. *In cauſſa regni, & ſcriptis ſuis, quæ complura & multijuga eruditionis plena evulgavit, iniquior & acerbior, & vita quàm ſtilo temperatior creditus.* Joſephus Scaliger Epiſtolarum lib. III. Epiſt. CCXLIII. ad

Jo.

Jo. Baxtorfium Kalend. Junii Juliani clↄ Iↄcvi. p. m. 523. edit. Lugd. Batavi clↄ Iↄcxxvii. de illo ſcribit, *quod OBTRECTANDO plus fama apud ſui ſimiles, quàm docendo apud ſtudioſos ſibi pepererit.* ANTONIUS POSSEVINUS natione Italus, patria Mantuanus, Abrahamo Bucholcero in Chronologia, *Celebris Ieſuita*, qui in Sueciam, Poloniam, Moſcoviam à Summis Pontificibus miſſus, ſcripſit Apparatum Sacrum, in quo de *Scriptoribus*, *Interpretibus, ac Verſionibus veteris & novi Teſtamenti*, *de Synodis item ac Patribus Græcis ac Latinis &c.* agit, qui prodiit Venetiis annis ſæculi hujus III. & IV. ſed multò locupletior & emendatior Coloniæ Agrippinæ anno 1 IX. illumq; cum *Bibliotheca Selecta* & *Commentario de rebus Moſcoviticis*, inter ſcripta Poſſevini, de quibus Ribadeneira in Catal. Script. S. I. p. m. 22. 23. 24. *eminere* ſtatuit D. Quenſtedt in Dialogo p. m. 299. Virum *Variæ* fuiſſe *eruditionis multæq; lectionis*, Apparatum ejus Sacrum *doctiſsimum ac laborioſiſsimum Opus*, cum Gerhardo Jo. Voſſio lubenter agnoſcimus. Verùm in illo non iniqui rerum Cenſores reprehendunt, quod alieni nominis obtrectatione famam aucupans non ſatis benignè cum aliis agat. Hinc adverſus Chronologiam M. Henrici Buntingii, Goslarienſis Eccleſiæ Superintendentis blaterat, *illam ſcatere erroribus & blaſphemiis, dum hæreticos extollit, & Pontificum autoritatem à Chriſto inſtitutam convellit &c.* Joannis Schopfii Abbatis Wurtembergici Academiam Chriſtianam circa annum Chriſti 1588. conſcriptam, quam Celeberrimus in Academia Salana Theologus Jo. Himmelius, tum temporis primus Gymnaſii noſtri Rector, anno 1616. renovatam & auctam hîc Spiræ Nemetum edi curavit, *peſtilentem librum* nominat, quia ſcilicet Pontificiis non eſt ad palatum Vid. Barth. Keckermann. in Auctario Cap. IV. p. m. 1872. Jo. Andream Boſium Introduct. Cap III. p. m. 30. Non inconcinnè D. Jo. Henricus Hottingerus Epiſtola Reſponſoria de ratione & modo conſcribendæ Hiſtoriæ Reformationis ſcripta Tiguri d. 4. Auguſt. 1664. *Multi magni eſſe potuiſſent, niſi intolerabili convitiandi pruritu laborantes, aliis occaſionem præbuiſſent in Theatro oſtendendi trabem habere in oculis, qui feſtucam in aliis exprobrarent.* Sanè Vir Nobiliſſimus Petrus Lambecius, Hamburgenſis, J. U. D. Sac. Cæſ. Majeſt. Conſiliarius, Hiſtoriagrophus ac Bibliothecarius, lib. I. de Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſareâ Vindobonenſi, *Catalogum Manuſcriptorum Græcorum ibi, quem Poſſevinus edidit, corrigit, inq; eo errata*, ſic Ephemerides Eruditorum Gallicanæ Part. II. p. m. 436. *nimis craſſa obſervat; Sic exempli gratia liber ibi habetur Georgii Nicetæ Epiſtola de creatione hominis inſcriptus, cujus tamen verus titulus eſt: Gregorii Nyſſeni Epiſcopi de creatione hominis liber. Intereà verò illud erratum anſam dedit erudito Leoni Allatio differere nonnulla de memorato illo Georgio Niceta, & quidem in Tractatu aliquo peculiari, quem de Autoribus conſcripſit iis omnibus, quibus nomen eſt Georgii.* Conferatur D. Davidis Chytræi Reſponſio ad Antonii Poſſevini Jeſuitæ, & Mylonii cujuſdam criminationes, quæ habetur Tom. V.

doctrinæ Jeſuiticæ edit. Rupell. MDLXXXVI. Andreas Rivetus Critici Sacri lib. II. Cap. V p.m. 198. *AVBERTVS MIRÆVS* Decanus & Bibliothecarius Antverpienſis, in Curiâ Sereniſs. Iſabellæ Claræ Eugeniæ Principis Belgii Sacrorum Præfectus, perluſtratis variis cum publicis tum privatis Bibliothecis, edidit *Bibliothecam Eccleſiaſticam*, in qua Scriptores eos, qui à tempore, ubi Trithemius deſiit, uſque ad annum cIↄIↄCXII. vixerunt, recenſet. Famianus Strada, Jeſuita Romanus, celebris ille de Bello Belgico Decadum Scriptor (cui Gaſpar Scioppius Comes Claraevallæ oppoſuit Infamian Famiani, quæ cura & induſtria Jo. Fabri Eloq. Prof. P. è Bibliotheca PerIlluſtris ac Generoſiſſimi Herois Georgii Roſenkrantzii, Academiæ Soranæ Præſidis, ann. MDCLVIII. Soræ prodiit; Olaus verò Borrichius Academiæ Hafnienſis Profeſſor Medicus, in ſuis Cogitationibus de variis Latinæ linguæ æ[illegible]ibus, defenſionem ejus ſuſcepit edit. Hafniæ MDCLXXV. *exquiſitius examen relicturus doctiſsimo è Soc. Ieſu Sacerdoti Pieruccio, qui in Collegio Romano ante aliquot annos Vindicias nomine Famiani Stradæ parabat, editioni jam haud dubiè maturas*) in Epiſtola ad Autorem profitetur, admiratum ſe in Bibliotheca hâc *eruditionem, judicium, perſpicuitatem.* Non leviter tamen illum perſtringit Andreas du Sauſſay Continuat. de Script. Eccleſ. p. m. 163. *Miraus, quod mirum eſt, qui in ſua Bibliotheca ſeu Auctario de Scriptoribus Eccleſiaſticis, quo Germanos, & Flandros, Belgasq́, ſuos aliosq́, recenſet, neſcio quo motu mentis ductus, Genebrardum nullo loco repoſuit, ſed quaſi ignotum præteriit, quo facto ſibimet inuſsit non minimam labem invidiæ, vel ſaltem cæcæ imprudentiæ, ne dicam turpis erga hominem tot titulis de Eccleſiâ benè meritum, ingratitudinis, aut latentis in Gallicum nomen malevolentiæ.* Arnoldus à Porta Canonicus Bergizomenſis, qui ſecundam partem digeſsit, in Præfat. fatetur, *multos illuſtres Scriptores rerum Sacrarum à Miræo omiſſos, multorum lucubrationes omnes non recenſitas: eumq́, data opera abſtinuiſſe NOMINANDIS AVCTORIBVS HÆRETICIS, aliisq́, Scriptoribus damnatis.* Videatur Boſius Introduct. Cap. III. p. m. 31. 32. *PHILIPPVS LABBE*, Bituricus, Jeſuita Pariſienſis, inter alia edidit Specimen Novæ Biblioth. MSS. librorum ſive Antiquarum Lectionum & Græcarum in IV. partes tributarum &c. Novæ Biblioth. MSS. librorum Tom. I. & II. De Scriptoribus Eccleſiaſticis, quos Bellarminus attigit, Philologicam & Hiſtoricam Diſſertationem duobus Tomis, Bibliothecam Bibliothecarum, Catalogorum, Indicum &c. de quo Hallervordius in Biblioth. Curioſa p. m. 335. 336. Georgius Matthias Königius in Bibliotheca veteri & nova p. m. 450. De Bibliotheca Bibliothecarum cenſent Ephemerides Eruditorum Gallicanæ Part. I. p. m. 42. *Quod hic liber toti literarum orbi utiliſsimus ſit futurus, iis tamen præprimis, qui exactam egregiorum librorum deſiderant notitiam, quibusq́, Bibliothecam comparare ſibi animus eſt. Qua ſanè cognitio præſtantior eſt, quàm imaginari ſibi queunt ii, qui non niſi mediocrem literis navarunt operam. Qui verò*

accura-

accuratius, quas ſcribere aggrediuntur, materias perpendere cœpiunt, inſignem utilitatem exinde deducendam melius aliis ſunt percepturi. Virum *diligentiſſimum* vocat ὁ πάνυ Hermannus Conringius Epiſt. de Biblioth. Auguſta ad Illuſtr. & Generoſum Jo. Chriſtianum L. B. à Boineburg p. m. 11. *Eruditiſſimum* J. And. Boſius Introduct. Cap. II. p. m. 17. *Magni & Celeberrimi nominis Ieſuitam* Hallervordius in Spicilegio p. m. 9. Spizelius in Diſſertat. Præliminari ad Sacra Bibliothecarum Illuſtrium Arcana Retecta, *Hominem plurimæ utiq; lectionis & induſtriæ, ac meritò laudandum* M. Henningus Witten Præfat. in Memorias Theologorum noſtri ſeculi Clariſſimorum p. m. 24. *niſi in viros à Papicolis alienos, eoſq; graves, pietate & doctrina præſtantes, effuſè nimis debacchatus eſſet.* D. Joh. Henricus Hottingerus in Enneade Diſſertationum Philologico-Theologicarum Heidelbergenſium, Diſp. VIII. de Melchiſedeco p. m. 174. edit Tigur. 1662. notat, *quod ipſius, ceu Iſmaelis & manus & calamus felle ubiq; & Sarcaſmis tinctus, in omnes nullo vel religionis vel eruditionis habito diſcrimine, pariter ſit injurius.* Hinc ipſi *Trithemii Subleſta ſæpè eſt fides: Bellarmini Chronologia manca & à ſinceris temporibus aliena: Miræus Bellarmini & Voſſii Exſcriptor* audit, *Poſſevinus deluſus à Geſnero &c. Noſtris Scriptoribus non ſatis eſt, inſcitiam & ignorantiam obiici pudendam, maledictis etiam & convitiis eos onerat, Methodo viro erudito valdè indignâ.* D. Gerhardi Patrologiam à cavillis Labbeanis defendit J. Andreas Boſius Introduct. Cap. III. p. m. 33. Confer etiam Vincentium Placcium de Scriptoribus Anonymis detectis Cap. XV. p. m. 115. Licet ut *Bellarmino, Baronio, Poſſevino &c.* ita quoque *Labbeo, ſuâ luce radians, & ſolis inſtar latere neſcia, nuda & fortis veritas, quandoq;, grata nobis extorſerit teſtimonia.* Quorum complura ſe notaſſe, digerenda pro XVII. Seculorum numero, totidemq; includenda Tabulis, ſcribit R. Capellus SS. Th. D. & in Gymnaſio Hamburgenſi P.P. in Epiſtol. Dedicat. Tabularum Guilielmi Cave SS. Th. D. quibus Doctores & Scriptores Eccleſiaſtici exhibentur, quarum editio prima prodiit Londini Ann. Chriſt. 1674. ſecunda Hamburgi, accommodata uſui Studioſorum Gymnaſii Hamburgenſis Ann. Chriſt. 1676. Majorem fidem meretur *PETRUS SOAVE POLANUS*, qui *PETRUS SARPUS*, poſteà Monaſticam vitam ingreſſus, & Ordini Servitarum adſcriptus, mutato pro more Prænomine Fr. *PAOLO* ſive *PAULUS* dictus fuit, de quo Vincentius Placcius de Scriptis & Scriptoribus Anonymis atq; Pſeudonymis p. m. 235. Jo. Rhodius Dan. Auctorũ Suppoſititiorũ Catalogo, qui ad autographum fideliter expreſſus ex Muſéo ejuſdẽ Placcii prodiit, n. 9. 10. Petrus Scavenius Jur. Profeſſor Hafnienſis, in Catalogo Auctorum, qui ſuppreſſo vel ficto nomine prodierunt, quem Deſignationi librorum Bibliothecæ Regis Daniæ ſuâ curâ additorum, Hafniæ 1665. in 4. editæ ſubiecit, n. 37. 38. Fuit Celebratiſſimus Reipublicæ Venetæ Theologus, cujus *Conſiderationes Cenſurarum Pauli V. Papæ contrà Sereniſſimam Rempublicam Venetam: Exceptiones*

contra Citationem per Edictum Cardinalium Romanorum in causâ Venetâ, *Scriptam Venetiis ex Conventu Servorum die* 25. *Novembris* 1606. exhibet Goldastus Tom. III. Monarchiæ S. R. I. p. m. 286. 481. 482. Conf. Thuan. Tom. III. Hiſt. Lib. CXXXVII. p. m. 1132. 1135. Scripſit hic quoque *Hiſtoriam Concilii Tridentini*, *in quâ*, juxtà Jo. Andr. Boſium de comparanda prudentiâ juxtà & eloquentia Civili, deque libris & Scriptoribus ad eam rem maxime aptis, Diſſertatione Iſagogica p. m. 27. *velut in ſpecimine artes Curiæ Romanæ*, *& Conſilia variis in locis Europæ agitari ſolita, intueri licet*. Remoto ſipario, velut in ſcenâ apertâ nobis ſiſtit *coactas Tridentinorum Patrum Deciſiones, Velitationes contradictorias*, de quibus jam anno MDCLV. egi in Collatione Concilii Niceni I. & Synodi Tridentinæ, hujuſque Identica Authentica, Exercitatione Hiſtorico-Theologica inſtituta, & in Academia Eberhardina ad Nicrum ad diem 7. & 8. Decembris publicæ Cenſuræ & Ventilationi ſubmiſſa. Marcus Antonius de Dominis, Archiepiſcopus Spalatenſis, *habuit Hiſtoriam hanc Manuſcriptam*, *cum Italiam deſereret*, *& in Angliam pergeret*, *atq; ipſam Londini inprimendam curavit anno* 1619. teſte Cæſare Aquilinio de Tribus Hiſtoricis Concilii Tridentini p. m. 45. edit. Amſtelod. apud Elizeum Weyerſtraten anno cIↄIↄcLXII. Degoreus Whear tamen, eruditiſſimus Anglorum Hiſtoricus, in Methodo legend. Hiſt. Eccleſiaſt. p. m. 276. refert, *quod fidiſſimus ejus Interpres Anglicus D. Nath. Brent Eques Auratus*, *Collegii Merton. Præfectus*, *qui litteratâ Pauli Servitæ conſuetudine*, *ac propiori familiaritate aliquando fretus*, *penitius eum noverat, illud pretioſiſſimum κειμήλιον maximo Eccleſiæ bono*, *in Oras haſce occiduas protulerit*, *& publicâ luce donarit*. Incomparabilis Hermannus Conringius de Civili Prudentia Cap. 14. p. 331. *hanc Hiſtoriam planè incomparabilem* æſtimat, Boſius l. c. *nunquam ſatis laudatam* appellat, quam non è cerebro ſuo finxit, ſed *ex libellis memorialibus, Commentariiſq; Legatorum*; *ex Principum & Rerumpublicarum Epiſtolis*, *aliiſq; ſcriptis*, *à Præſulibus*, *Theologis*, *Legatiſq; ipſis*, *qui eidem Conventui interfuêre*, *diligenter aſſervatis*, *concinnavit*, *ut*, interprete ejus Latino D. Adamo Newtono, Equit. Aurato teſte, *in unius Concilii coagmentatione omnes Hiſtoriæ conſcribendæ numeros impléſſe*, *atq; hoc nomine majorum gentium Hiſtoricis accenſendus meritiſſimò credatur*. Vide Degor. Whear l. c. & D. Hottingerum in Epiſtola Reſponſoria de ratione & modo conſcribendæ Hiſtoriæ Reformationis. Romæ non adeò gratum & acceptum fuiſſe hunc Autorem, vel inde patet, quod in Indice Librorum Prohibitorum p. m. 222. legamus: *Folium quoddam continens Epitaphium factum Sepulchro Fratris Pauli Servitæ, incipiens*; *Paulus Venetus Servitarum Ordinis Theologus, ita prudens, integer, Sapiens &c. tàm impreſſum*, *quàm Manuſcriptum omninò prohibetur*. Et p. m. 272. eidem Catalogo inſeritur: *Vita del P. Paolo dell' Ordine de' Servi. in Leida* 1634. Confer p. m. 202. De illo Robertus Johnſtonus Rerum Britannicarum Hiſtor. lib. XX. p. m. 638. *Hoc quoq; anno*

(162) *Paulus Venetus, Servitarum Ordinis Theologus, non obiit, ſed ad vitam evolavit æternã; nulli inferior judicio, ingenio; admirabili facundiã; literis reconditis & exquiſitis; non magis doctrinâ, quàm rerum uſu prudens; ut majorem, nec divinarum, nec humanarum rerum ſcientiam, nec integriorem, nec ſanctiorem vitam quiſquam deſideraret, qui in ſcripta ejus incidiſſet, ut mihi quidem videtur. Is tantis virtutibus ornatus, liberâ, integraq; mente, publicam Venetorum Cauſam adverſus Pauli V. Pontificis maximi fulmina, libello edito defendit; qui crudeliſſimis Edictis detonuit in eos, & depravatam Romanæ Eccleſiæ diſciplinam, ceremoniarum vanitatem, & Pontificis auctoritatem, ambitum, potentiam, eâdem libertate exagitavit. Poſteà etiam, Commentarium in Concilium Tridentinum ſcripſit. Quæ res graviſſimam Pontificis offenſionem excitavit; & illi perniciem penè creavit. Nam mox ſicarii in eius caput ſubornati, Scloppeti ictu, in clauſtro Servitarum vulnerârunt: & conſcensâ Naviculâ, ad hoc præparatâ, per Canales auſugerunt. Civitas caſu inopinato conſternata, decrevit, ut in ſicarios inquireretur; legibus ageretur; & pro Salute Aſſertoris Unici dignitatis, potentiæq; Venetorum, in poſterum excubaretur. Qui magnas à libertate Venetâ inſidias, ſua prudentiâ depulit. Pro quibus meritis, in mortuum omnes divini & humani honores congeſti. Ante tumulum, magnâ turbâ, multiſq; precibus ſupplicatum eſt. Publicato Romæ Epitaphio in laudem defuncti; & Venetæ plebis, in Mortui memoriam funebri pietate &c.* Magno Zelo *reparationis divinæ domus* illum flagraſse, docent Epiſtolæ ejus ad Philippum Mornayum ſcriptæ; quarum mentionem facit Claudius Sarravius, Senator Pariſienſis, Epiſt. ad Hugonem Grotium Lutet. 27. Jul. 1639. Vide Pauli Colomeſii Galliam Orientalem, ſive Gallorum, qui linguam Hebræam, vel alias Orientales excoluerunt, Vitas p. m. 250. edit. Hagæ Comitis ex Typographia Adriani Vlacq MDCLXV. Contrà hanc Concilii Tridentini Hiſtoriam, poſt Jes. Tarquinium Gallutium, Scipionem Henrici Theologum Meſſanenſem, inſurrexit CARD. SFORTIA PALLAVICINUS, qui Jo. Nadaſi Anno Dierum Memorabilium Societatis Jeſu Part II. in Vita Goſwini Nickel, Decimi Præpoſiti Generalis p. m. 360. dicitur *Vir ab ingenio, ac Theologico, & Hiſtorico calamo eminentiſſimus*, illumque *maximis Europæ Theologis* annumerant Ephemerides Eruditorum Gallicanæ Part. I. p. m. 108. de quo D. Stephanus Spinula Congregat. Somaſchæ Genuæ in Univerſitate Grimalda Profeſſor in ſua Philoſophia: *Sfortiæ Pallavicini laudes unico verbo abſolvero, ſi aſſeram, Romam illum adhuc juvenem, ingeniorum Phœnicem conſalutaſse. Cui quidem titulo glorioſo, quàm par ſit, ſatis ſuperq; ab ipſo edita volumina teſtantur &c.* Quem Alexander VII. R. P. aliquando *non ſui dimidium*, ſed *ſe alterum* appellare non dubitavit, teſte Vito Erbermanno in Alexandri VII. Papæ Electione & authoritate à cavillis H. Conringii denuò vindicata p. m. 8. edit. Mogunt. MDCLVII. Verùm Cæſar Aquilinius de Tribus Hiſtoricis Concilii Tridentini p. m. 10. ſtatuit, *quod omnia, quæ apud Pallavicinum invenire eſt, manuſcripta nihil faciant pro Concilii*

 cauſa,

nauſà, ſed tantùm pro narrandis variis atq; inutilibus rebus, à proprio inſtituto diſtantibus, pro amplificandis Lutheri Hæreſibus, & perſæpè pro comprobandis, & tandem pro referendis his, quæ juſtis de cauſis pro ſcandalis tollendis in Romanis Archivis abſcondita atq; occulta habebantur. P. m. 17. notat *ſtudium & obſequium, atq; adulationem in aliquos Principes: livorem, & odium in nonnullos ; Vnde non abſtinuerit omnia colligere, ac referre quæ adverſus Paulum IV. Pontificem invenire, vel fingere potuit.* Et ibidem concludit: *Petri Soave, hiſtoriam & prioritate, & puritate, & inſtituto præſtantiorem eſſe.* P. m. 49. cenſet, *Iſta duo magna volumina Bubonibus ſatis rectè aſſimilari poſſe, qui magna quidem aves apparent non membrorum, & carnis magnitudine: ſed inutilium pennarum ſuperfluitate.* Philippus Quorlius, Cleri Romani Decanus, qui hoc unicè ſibi propoſitum habuit, ut Suavem ex Suave refutaret, in Conſilio ad Lectorem libris ſuis præfixo, Pallavicini hiſtoriam & ipſe quorundam tacitè notat. Comes Julius Clemens Scotus, ſub nomine Stanislai Felicis anno 1664. Notas ſexaginta quatuor Morales, Cenſorias, Hiſtoricas edidit, quibus ſe Suavis Refutatori Pallavicino oppoſuit. Non diffitetur illum *Terentii Alciati vitula araſſe, voluiſſe inſuper nonnullos, mentionem Alciati in frontiſpicio voluminum feciſſet, in argumentum ſi non grati, at ſinceri tamen animi: Pallavicino cæteriſq; Hiſtoriæ Concilii Tridentini Adverſariis tot annorum ſilentiũ* meritò exprobrat, *neq; viros ingenio ac judicio pollentes Suavis Hiſtoriam, etiamſi à Pallavicino refutatã aſpernari propterea* ſcribit, *nec deeſſe, qui majori etiã in pretio nunc habeant in pleriſq; quàm anteà &c.* Videatur Joh. Jacobus Mullerus in Συγκρίσει Concilii Nic. Primi, Oecumenici, atque Tridentini, ultimi, edit. Argent. MDCLXVI. circa finem, ubi agit de Euſebio Pamphili & Petro Suave. Ephemerides Eruditorum Gallicanæ Part. 1. p. m. 108. 109. de *Pallavicino: Conſcripta eſt hiſtoria ſatis liberè. Nam licet Cardinalis degat Romæ, Curiæq; Romanæ, ſi quiſquam, ſit obligatus, liberè tamen diſſerit de modo, quo Cardinalis Caraffa cum fratre & nepote puniti fuerunt, quia abuſi erant Pauli IV. Pontificis ipſorumq; Avunculi facilitate. Quæ verò propterea non dicuntur, quaſi ſimus neſcii cujuſdam dicentis; Scripſiſſe hæc illum in Hiſpanorum caſtigationis dictæ Autorum favorem. Sed utut hæc ita ſe habeant, multum tamen eſt, talia dixiſſe Romæ, memoriamq; eo in loco, ejuſq; actionis refricaſſe, quæ odioſa ſemper erit ſubordinato Magiſtratui. Quidam duo in generali hujus Hiſtoriæ ſcopo corrigunt. Primum, teſtari Cardinalem, primarium eſſe ſibi ſcopum oſtendere errores omnes, qui in Fra. Paulo extant; ut & nominare eum hunc Autorem in omnibus penè libri Capitibus. Baronius maiori uſus eſſe ratione dicitur &c. Verùm rationem, qua Palavicinus uſus eſt, quod attinet, non legi poteſt ipſius liber neq; intelligi, niſi legatur ſimul Fra. Pauli. Vnde ſanè periculum eſt, ne quis hujus hiſtoriam, utpote egregiè conſcriptam, præferat Palavicini hiſtoriæ, quæ forſan verior, non verò veriſimilior. Alterum, quod in Palavicini hiſtoria taxatur, eſt, quod rationem hiſtoriæ ſuæ omnem ex variis literis & Memoriis Manuſcriptis, ex Bibliotheca præſertim Vaticana deſumptis probet. Quod eò tamen non tendit, quaſi falſa judicentur ejuſmodi ſcriptorum genera, ſed quia ſcripta privata ſaltem ſunt,*

quibus

quibus adhibere fidem obligatur nemo prius, quàm illa in publicum ſint edita, quo examinari, & veritas exinde cognoſci poſſit, hocq; eò magis tum temporis, cum uſus eſt aliquis iiſdem contra alium Hiſtoricum penè æqualem, quiq; jam multum acquiſivit fidei in ingeniis hominum. Ob ingenuum candorem meretur laudem IACOBVS AVGVSTVS THVANVS, Parlamenti Pariſienſis Præſes, D. Georgio Richtero Jcto, Reipubl. Noriberg. Conſiliario, & Academiæ Altorphinæ Pro-Cancellario Decad. 1. Orat. 11. p. m. 39. *Scriptor Illuſtris, alter ſeculi noſtri Livius*, qui in ſuis Hiſtoriarum libris dum Viros eruditione meritiſque vel in Eccleſiam, vel Rempublicam literariam inſignes recenſet, nec *Proteſtantes Theologos* planè ſilentio præterit. Quænam cauſa fuerit, cur MARTINVS LVTHERVS Theſes ſuas contrà nundinationes Indulgentiarum ſcripſerit, non diſsimulat Tom. 1. lib. 1. p. m 7. ſcribens: *Peccatum tunc in ſacris muneribus diſpenſandis admiſſum Leo mox longè graviore cumulavit. Nam cum alioqui ad omnem licentiam ſponte ſua ferretur, Laurentii Puccii Cardinalis homini turbidi, cui nimium tribuebat, impulſu, ut pecuniam ad immenſos ſumptus undiq; corrogaret, miſsis per omnia Chriſtiani orbis regna diplomatis omnium delictorum expiationem ac vitam æternam pollicitus eſt, conſtituto pretio, quod quisq; pro peccati gravitate dependeret: in eamq; rem per Provincias Quæſtores & æraria ordinavit, quibus additi Præcones, qui tanti beneficii magnitudinẽ apud populum commendarent, & ordinationibus artificioſè compoſitis, propoſitisq; palàm libellis rei efficaciam immoderatè extollerent. Quod licentioſè nimis à Pontificiis Miniſtris paſsim atq; in Germania præcipuè fiebat, ubi qui redimendam pecuniam Romæ à Pontifice conduxerant, per luſtra & popinas Cottidiè ſine pudore in aleæ luſum uſusq; turpiſsimos poteſtatem extrahendi animas functorum ex igne expiatorio profundebant. Tunc exortus Martinus Lutherus Auguſtinianus Vitembergæ in Saxonia Theologiam profeſſus, qui refutatis primùm, mox damnatis Præconum concionibus eò poſtremò devenit, ut ipſam Pontificis poteſtatem, quam ſibi per illa diplomata arrogabat, in dubium revocaret, ac tandem ad doctrinæ examen, quam ſucceſsu temporis labefactatam dicebat, creſcentibus per contentionem animis deſcenderet.* Et Paulo poſt: *Interea creſcebat in Germania Lutheri nomen, cujus cauſsa plerique magni Viri ac Principes contrà Pontificem jam manifeſtò favebant. Cui malo cum minas & diras tantùm Leo opponeret, nec, ut de corrigenda quæſtorum audacia & impudentia cogitaret, adduci poſset, irritatum potius, quàm ſanatum vulnus eſt, majorisq;, ut ſibi videbatur, periculi, quod à Turcis imminebat, metu animum à rerum Germanicarum cogitatione revocavit.* Lib. II. p. m. 29. in deſcriptione mortis Lutheri: *Poſt Cœnam proximè ante noctem, qua deceſsit, cum rogaretur, num in illa ſempiterna vita ſimus alter alterum agnituri, ita eſſe ajebat, & ſcripturæ teſtimoniis confirmabat. Vt certatim eum vivum multi complexi; ſic nec morte quidem ab ejus amore divelli potuerunt.* Ibidem IVSTVM IONAM *Ioannis Friderici Saxoniæ VII Viri liberorum educationi admotum, eorumq; fortunæ calamitoſiſsimis temporibus perpetuum Comitem, & Lutheri ipſius ad extremum conſtantem Miniſtrum* vocat. Libro XVIII. p. m. 348. IOANNEM FORSTERVM *Virum lingua Hebraica ſcien-*

tiâ clarum, quam & ſcriptis luculentis illuſtravit, cum longo tempore Vitembergæ docuiſſet &c. Lib. XXI. p. m. 403. IO. *BVGENHAGIVM Iulini in Pomeraniâ natum, moderato ingenio & eruditione rara excultum*; Libro XXXVIII. p. m. 713. *ALEXANDRVM ALESIVM Lipſiæ magni inter ſuos nominis Theologum*, nominat. *Et de* IO. *MATTHESIO* Roclicienſi, qui in Valle Joachimica diu docuit l. c. ſcribit: *Cum mane concionem de filio viduæ in vitam à morte revocato habuiſſet, & in futurâ vitâ ſingulos pios parentibus ſuis & amicis reſtitutum iri, & ſe mutuò agnituros Lutheri exemplo docuiſset, tribus poſt concionem horis pari ferè cum Luthero morte ereptus eſt &c.* Lib. XLVIII. p. m. 900. ad Annum Chriſti 1570. *Haut multo poſt IOANNES BRENTIVS Vilæ Imperiali Sueviæ oppido natus magni nominis inter ſuos Theologus, diuq; ob id varia fortuna jactatus, ut ſuprà diximus, Stugardiæ in agro Virtembergico Septuagenario major fatis conceſſit, III. Eid. VIIbr. PAVLI EBERI* mentionem facit lib. XLVI. p. m. 873. ad Ann. 1569. Tom. III. lib. LXXXIV. ad Ann. Chriſt. 1586. p. m. 77. de *MARTINO CHEMNITIO*: *Abſtulit & hic annus, qui fuit illi Climactericus, Martinum Chemnitium Britzæ, cui Fideli cognomentum, in Vandalia natum, qui literas primas ſub Philippo Melanthone & Georgio Sabino Vitenbergæ & Francofordiæ ad Oderam imbibit: deinſe totum Theologicis ſtudiis mancipavit, in quibus aſsiduo labore tantum profecit, ut poſt Philippi Præceptoris obitum Theologorum Auguſtanæ Confeſsionis facilè Princeps inter ſuos habitus ſit; à Friderico II. Daniæ Rege, Ludovico Palatino, Auguſto Saxone, Ioanne Georgio Brandeburgico VII. Viris, Iulio Brunſuico, aliiſq; Principibus ac Civitatibus & Ordinibus huic doctrinæ addictis in conſilium ſuper Eccleſiaſticis negotiis ſemper adhibitus, aut abſens conſultus. Tandem Brunſuica, in qua XXX. totos annos docuit, tot laboribus defunctus ac ſcriptis multis editis VI. Eid. April. debitum naturæ perſolvit.* Lib. LXXXVIII. ad Ann. Chriſt. 1587. p. m. 137. *Aliquanto poſt* III. *Kal. Ixbr. deceſsit IOANNES VIGANDVS magnæ doctrinæ inter Proteſtantes Theologus, qui Matthiæ Flacio in concinnandis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Centuriis Operam olim navavit, & poſteà Pomeſanenſis in Boruſsiâ Epiſcopus à Stephano Rege juxtà pacta cum Boruſsiæ Principibus, & Ordinibus inita dictus eſt.* Et lib. CXXVI. p. m. 954. ad Ann. Chriſt. 1601. *Meruit & DAVID CHYTRÆVS, qui tot Virorum, quantum in ipſo fuit, memoriam ab oblivione aſseruit, ne ipſe indictus relinquatur, qui in Suevia, Braënheizemæ Virtembergenſis Principatus Opido natus, Tubingæ, & Heidelbergæ ſtudiorum tirocinia fecit, & à Megalopolenſibus Ducibus evocatus diu Roſtochii Profeſſus eſt, ac tandem ſeptuagenario major hoc anno III. Non Vtil. placidè ex hac vita migravit.* Anno tamen 1600. obiiſſe Chytræum & quidem 25. Jun. referunt Abrahamus Bucholcerus in Chronologiâ, Sethus Calviſius in Opere Chronologico p. m. 877. Melchior Adami in Vitis Germanorum Theologorum p. m. 692. Licet verò Thuanus in ſuo Teſtamento III. Eid. *Vtil.* Anno R. S. CIϽ IϽCXVI. ſcripto *Deum ipſum teſtetur & homines, ſe Hiſtoriarum ſuarum Opus ad Dei gloriam & publicam utilitatem ſine odio & gratiâ conſcripſiſſe*; Notationes tamen in illius Hiſtoriam ſcribere conatus fuit Autor quidem perſonatus Joannes Baptiſta Gallus, qui larvâ

de-

detracta eſt *Ioannes Baptiſta Machaud* ſive *Macaldus*, Jeſuita Gallus, ut ex Philippo Alegambe notat Vincentius Placcius in Catalogo Pſeudonymorum p.m.198. Verùm Ludovicus Segvierius Eques, Sancti Briſſonis Baro, Realſii & S. Firmini Dominus, Conſiliarius Regius, Nobilis Ordinarius Cubiculi Regii, Præfecturæ Pariſienſis Præſes, in *Sententia adverſus Famoſum Libellum inſcriptum, in Iacobi Auguſti Thuani Hiſtoriarum libros Notationes Auctore Io. Baptiſtâ Gallo Ic. impreſſum Ingolſtadii anno milleſimo ſexenteſimo decimo quarto, apud Eliſabetham Angermejrinam*, ſtatuit *quod dictus liber ſit pernicioſus, & multa contineat ſeditioſa adverſus tranquillitatem publicam, pacificatoria Edicta, ac deniq; plenus impoſturarum & calumniarum adverſus Magiſtratus Regios &c.* Quæ Sententia, ut & Teſtamentum Thuani circa finem Operis Hiſtorici leguntur. In Indice quidem Librorum Prohibitorum p.m. 205.209. reperiuntur *Iacobi Auguſti Thuani Hiſtoriæ.* Sed Patrocinium ſuſcepit Gabriel Bartholomæus Gramondus in Sacro Regis Conſiſtorio Senator, & in Parlamento Toloſano Præſes, Hiſtor. Galliæ. Lib. III. p.m. 191.192. edit. Amſtelod. 1653. Et Galli, licet Pontificii, ejuſmodi Cenſuras videntur floccipendere. Hinc cum Petrus de Marcâ, Archiepiſcopus Pariſienſis (cujus vitam deſcripſit Paulus de Fager, Presbyter, in Sacro Conſiſtorio Conſiliarius, & Agens Generalis in rebus Cleri Gallicani, ejuſdemque Archiepiſcopi Diſſertationib9 Poſthumis Sacris & Eccleſiaſticis edit. Pariſ. MDCLXIX adjunxit) inter alia Scripta edidiſſet librum de *Concordia Sacerdotii & Imperii*, ille inter *libros prohibitos* recenſetur in Indice p.m. 248.250. & in Decreto Congregationis Indicis, Romæ in Palatio Apoſtolico Quirinali 17. Novembre. 1664. p.m. 292. denuò legitur inter *libros damnatos &c. De Concordia Sacerdotii & Imperii, ſeu de libertate Eccleſiæ Gallicanæ liber à Stephano Balutio Impreſſus Pariſiis, anno* 1663. *perperàm adſcriptus Petro de Marca; ex cujus retractatis ſcriptis, aliorumq; erroneis ſententiis opera præfati Balutii editus eſt.* Verùm Cenſuram hujus Cenſuræ habent Ephemerides Eruditorum Gallicanæ Part. I. p.m. 11. *Cum Romana Curia ſuas ſemper viſitationes exerceat, non adeò neceſſarium erit, de Cenſuris ejus anxiè eſſe ſollicitum. Id quod cauſa etiam eſt, cur Decretum hoc impedire nequeat, quo minus in magno ſemper, ut anteà, pretio habeatur De libertate Eccleſiæ Gallicanæ à B. de Marca editus Liber. Nihil enim aliud continet, niſi Regulas certiſsimas, quæq; optimè ſtare poſſunt ſalvis Monarchiæ hujus legibus fundamentalibus. Pari modo non minor is erit propterea Sinceritas Baluzii, licet in hoc Decreto libri nomini de Marca falsò affictì accuſetur. Apparet enim Congregationem hoc remedio eam ſolùm ob cauſam eſſe uſam, quod non fuit auſa directè aggredi memoriam magni illius Archiepiſcopi, perſuadens ſibi, facilius eſſe infamare ejus librum, ſubſtituto in ipſius locum alio, minus in Eccleſia dignitate conſpicuo.* Et licet adhuc hodiè complures reperiantur, quibus in conviciandi libidine & Cynica quâdam detrahendi licentia videtur palma repoſita, ut in hoc muſtacco laureolam quærere, in hâc arenâ ſibi triumphum polliceri conentur; Haud defuêre tamen candidiores rerum æſtimatores, qui accurata mentis tru-

ctioni momenta ponderantes, mitius benigniuſque judicium tulerunt etiam de illis, quibus ſalvâ fidei & veritatis compage ſingula Curiæ Romanæ decreta & placita recipere nec libet, nec licet. Quid de *LVTHERO* ſenſerint haud infimi ſubſellii inter Pontificios, illorum teſtimonia docent, quæ adducunt D. Matthias Hoë Comment. in Apocalypſin B. Apoſtoli & Evangeliſtæ Johannis lib. IV. p. m. 541. ſeqq. M. David Majerus, Eccleſiæ Georgianæ apud Hannoveranos Paſtor, in omnium Sanctorum Jubilæo Evangelico Sectione XXI. p. m. 280. ſeqq. Ludovicus de Monte Sperato Jctus Germanus in Vindiciis Pacificationis Oſnabruccenſis & Monaſterienſis edit. Londin. apud Hæredes Jean de Valetz MDCLIII. Juxtà Excellentiſſimum Theologum Dn. Chriſtianum Niſanium, SS. Theol. Licentiatum, Superintendentem, ac Conſiſtorialem Ravensbergicum, in Oſtenſione Hiſtorico-Theologicâ, quod Glorioſiſſimus Imperator Carolus M. in quamplurimis fidei articulis formaliter non fuerit Papiſta, p. m. 1189. *CAROLVS V. Imp. Glor. audita Confeſſionis Auguſtanæ Prælectione, dixiſſe fertur: Optare ſe ut per totum orbem ita doceatur. FERDINANDVS I. ad Matthefium Pragam evocatum dixit: Redi domum, & tuos doce, ut hactenus feciſti, ſecundum Auguſtanam Confeſſionem. Idem Anno Chriſti* 1564. *paulò ante obitum dixiſſe memoratur: ſi Romana Eccleſia mihi deſerenda eſſet, conferrem me ad Lutheranos, quos video retinere verbum Dei, & rectè ſentire de Sacramentis, & non habere dubias opiniones, quales habent Sectæ Anabaptiſtica & Calviniſtica, ſed vallatos eſſe teſtimoniis Scripturæ, quæ unica eſt ratio, & via victoriam coràm Deo & hominibus obtinendi. Idem Imperator Auguſtus dicere fuit ſolitus, duo ſibi in Lutheranis placere; Primò, quod in omnibus ſuis actionibus dent gloriam Deo. Secundò, quod in Eccleſiis ſuis de Magiſtratu honorificè ſentiant & prædicent.* In vita Philippi Melanchthonis, inter Vitas Germanorum Philoſophorum, ſcribit Melchior Adami p. m 205. *FERDINANDVM ferunt, audita morte Melanchthonis dixiſſe: Hujus Viri Conſilia ſemper fuerunt moderata.* Quid de eodem Philippo Melanchthone judicaverit Franciſcus I. Rex Galliarum, docet Thuanus Tom. I. Hiſtor. lib. XXVI. p. m. 514. ad Ann. Chriſt. 1560. *Certè Franciſcus ante XXX. annos cognito Melanchthonis peculiari ad ſedandas eas, quæ in Eccleſia invectæ ſunt, turbas ſtudio ex Gulielmo Bellajo Langæo, protinus ad eum Guiſa ſcripſit, miſſo Barnaba Voræo Foſſa, rogavitq́, ut quam primùm in Galliam ſe conferret de unione doctrinarum cum ſelectis aliquot Doctoribus acturus, quò pulcherrima illa Sacra adminiſtrationis concordia ſarciri poſſet. Biennio verò poſt Iac. Sadoletus Epiſcopus Carpentoractenſis cum Romam veniſſet, & in Cardinalium Collegium præter ſpem ac votum cooptatus fuiſſet, amantiſſimas litteras ad eum dedit, quibus ſignificabat ardentiſſimè expetere ſe, ut quantumvis locorum ſpatiis & opinionum diſſidentia dividerentur, amore & ſtudiorum communicatione in poſterum conjungerentur.* Maximilianus II. Auguſtus à Sacris Concionibus & Conſiliis habuit *Ioh. Sebaſtianum Pfauſerum*, qui juxtà Nicolaum Reusnerum Jc. in Iconibus ſive Imaginibus Virorum literis

Illuſtrium

Illuſtrium edit. Argent. cIↄ Iↄxxiic. fuit *Theologus egregius, fortis, conſtans, diligens præſenti magnitudine animi: Magna præterea & eloquentia & dignitate præditus: perpetuus Orthodoxæ fidei Evangelicæ aſſertor, Præſul demum & Antiſtes Eccleſiæ Laviganæ in Palatina ditione fideliſſimus, mortuus Lavingæ Apoplecticus anno ſal.* MDLXIX. *æt.* XLIX. VI. *Iunii.* De quo Melchior Adami in Vitis Germanorum Theologorum p. m. 415. *Maximiliano itaq; Regi tunc Boemiæ, poſt Cæſari Auguſto, commendatus; à ſacris Concionibus eidem Principi, veritatem Evangelicam amplexo, aliquantiſper fuit. Sed cum & Principi ipſi, & Paſtori Pfauſero, varia obiicerentur in aula impedimenta, atq; Evangelii remora: dimiſſus inde, Lavingam, ſuperioris Palatinatus Oppidum, venit: ubi Eccleſiæ eſt Antiſtes deſignatus. Factum id ſub annum milleſimum, quingenteſimum, ſexageſimum.* Idem Maximilianus *Dynaſtis & Nobilibus Auſtriacis liberum Confeſſionis Auguſtanæ exercitium, in ipſorum templis & familiis, anno Chriſti* 1568. *d.* 18. *Auguſti permiſit, hac tamen conditione, ut ordinem doctrinæ & rituum totius adminiſtrationis Eccleſiaſtica certum, & cum Saxonicarum regionum Eccleſiis congruentem ſervarent.* Ad quam deliberationem Roſtochio *Davidem Chytræum*, Lipſia *Ioachimum Camerarium* Imperator clementiſſimè literis evocavit, *ubi tandem, anni vertentis menſe Auguſto, actionum illarum finis fuit: in quibus, liber de Doctrina Chriſtianæ articulis præcipuis, & omnibus in Eccleſia Agendis, qui extat, à Davide Chytræo Germanicè ſcriptus, in multorum manibus verſatur.* Videatur ipſe Chytræus in Saxonia lib. XXII. p. m. 579. Ioannes Cyriacus Baro in Polheim & VVartenburg, Oratione de Maximiliano II. Imperatore Cæſare Auguſto, Archiduce Auſtriæ, habita cum Roſtochii leges Academiæ, die 25. Januarii anno 1577. publicè recitarentur, quæ reperitur citatæ Saxoniæ lib. XXIII. p. m. 629. ſeqq. Hinc cum D. Chytræus poſt reditum ex Auſtria ad prælectionem Chronici reverteretur, anno 1569 habuit elegantiſsimam ſuam Orationem de Statu Eccleſiarum eo tempore in Græcia, Aſia, Boemia, &c. quæ edita eſt cum Epiſtolis Conſtantinopolitanis & aliis circiter XXX. Francoforti apud Hæredes Andreæ VVecheli MDLXXXIII. De *Martino Chemnitio è Gaſmero* in ejus Vita ſcribit Johannes Lomejerus de Bibliothecis Cap. XIII. p. m. 327. 328. *Ioachimus Gotzenius* I. *V.* D. *Legatus Erici Ducis Brunſuicenſis & Luneburgenſis, Tridenti aliquando cum tribus Cardinalibus cœnavit, de variis colloquebantur, unus autem reliquis doctior & magis moratus viſus, quæſivit de Theologis Germaniæ, Gotzenius aliquot nominavit; Reſpondit Cardinalis eſſe quendam Martinum Chemnitium, Eccleſiæ Brunſuicenſis Doctorem inter Theologos Germaniæ ſuo judicio facile Principem. Scripſiſſe illum Examen Concilii Tridentini, ex quo luce meridiana clarius appareat, multos horrendos errores, per negligentiam Epiſcoporum in Eccleſiam irrepſiſſe. Neminem inter Germaniæ Theologos hactenus fuiſſe, qui Eccleſiæ Romanæ, poſt Lutheri obitum, plus nocuerit quàm Chemnitius ſuo iſto ſcripto. Hoc ſe ingenuè confiteri, Virum admirari, ei eruditionis palmam præ omnibus Theologis Germaniæ tribuere, nihil magis optare, quàm ut illum videre aliquando, & cum*

ipſo de toto religionis negotio conferre poſsit. Videatur etiam Dn. Georgius Matthias Königius in Bibliotheca veteri & novâ p. m. 186. Gregorius de Valentiâ, natione Hiſpanus, Patria Methymnenſis, haud incelebris Jeſuita, &, ut in ejus Cenotaphio, quod gratitudinis ergò Collegium Theologicum Ingolſtadienſe poſuit, apud Petrum Ribadeneiram in Catalogo Script. S. I. p. m. 89. legitur, *inter Theologos ſui temporis nulli ſecundus*, teſte aurito Elia Haſenmüllero dixiſſe fertur: *Nullum Lutheranorum ſe metuere, niſi Chemnitium.* Conferatur D. Joh. Nicolaus Miſlerus, SS. Th. in Academia Gieſſena hodiè Profeſſor Primarius Oratione Parentali in laudem & memoriam indelebilem Dn. D. Juſti Fevvrbornii &c. Gieſſæ d. 6. Februar. Anno 1657. hora 1. Pomeridiana publicè habita. De *Iohanne Arndio* Ducatus Lunæburgici Epiſcopo & Superintendente Generali, Eccleſiæ Cellenſis Antiſtite, Theologo quà vita quà doctrina eximio, & optimè promerito, die 11. Maii. annö ſalutis noſtræ 1621. ætatis ſuæ 66. piè placideque denato refert Cl. Henningus Witten in Memoriis Theologorum noſtri Seculi Clariſsimorum renovatis, Decad. 11. p. m. 173. *quod ex Antagoniſtis etiam nonnulli, cum libros ejus de VERO CHRISTIANISMO* (quos inclutus Sueciæ quondam Heros, Jacobus de la Gardie, non domi ſaltem, ſed & medios inter bellorum ſtrepitus, ceu *Homerum Magnus* illè *Macedo*, diligentiſſimè pervolvebat) *legerent, ſingularem Viri in aſceticis commovendi ſpiritum, & præclariſsima Dei dona, non ſatis prædicare potuerint.* Quid de Excellentiſsimi Theologi Balthaſaris Bebelii, in Univerſitate & Eccleſia Argentoratenſi SS. Th. Profeſſoris Publ. Ordinarii & Eccleſiaſtis longè celeberrimi, laboribus in Antiquitatum Eccleſiaſticarum illuſtratione judicaverit inter Adverſarios Vir Illuſtriſſimus, & natalium ſplendore, & eruditionis præſtantia orbi notus, teſtatur hujus Epiſtola ad quendam amicorum Dn. D. Bebelii, ubi inter alia: *D. Bebelii ratio ſcribendi & ſuccoſior eſt, & rotundior, & genuino idoneorum ſcriptorum modo congruentior. Oro, ut diſpicias, ſicunde Eccleſiaſticam ejus hiſtoriam conſequi licet, tum præcipuè, ſi qua ejus deinceps prodibunt continente filo, prout bellè cœpta ſunt. Nihil hactenus videre memini hoc in genere pulchrius, diſtributius, & tot magnarum materiarum compreſsione fæcundius, quodq́; meritò longum poſt ſe Syrma depoſcat, & avidam mereatur exſpectationem.* Pergit idem amicus in literis ad Dn. D. Bebelium anno 1667. die 10. Junii exaratis: *Volebat etiam, ut ſuo nomine hortarer, opus hoc amplius urgeri, ut aliquot ſeculis abſolutis haberet Orbis eruditus, quo tamdiu frueretur, donec reliqua ſequerentur: ſuis* (Pontificiis) *etiam hoc Opus commendaturum ſe eſſe recepit, quod ab omnibus legi dignum judicet.* Vide laudati Dn. D. Bebelii Epiſtolam Dedicatoriam ad Sereniſsimum Principem Ludovicum Leopoldum, Comitem Palatinum Rheni, Bavariæ Ducem, Comitem Veldentiæ &c. in Antiquitates Eccleſiæ in tribus prioribus poſt natum Chriſtum ſeculis, Evangelicæ &c. edit. Argent. MDCLXIX. Sic veritati, dum ab aliis impugnatur, ab aliis vel Suffragium, vel Patrocinium non denegatur. Si varios in Eccleſia

Roma-

Romana conſideremus ORDINES, illorum Varii ſeſe nobis offerunt Præcones, licet nec apud ipſos Pontificios in medio Papatu defuerint Cenſores. CARMELITAS extollunt Alphonſus ab *Alſama*, Nicolaus Aurificus *Bomfilius*, Paulus *Bonetus*, Arnoldus *Boſtius*, Albertus *Drepanita*, Bonifacius à S. *Euphraſia*, Joſephus *Falconius*, Baptiſta *Ferrarienſis*, Nicolaus *Gallicus*, Joh. *Gerbrandi de Leidis*, Jo. *Gluel*, Jo. *Groſſn*, Julianus *Hurſatus*, Dominicus & Thomas *à Ieſu*, Nicolaus *Kenton*, Petrus *Lucius*, Franciſcus de S. *Maria*, Bern. à *Monteſa*, Bern. *Ollerius*, Jo. *Oudenvvatter*, qui ſe Latinè *Veteraquinatem*, Græcè *Palaeonydorum* vocavit, Philippus *Ribotus*, Guil. de *Samuco*, Thomas *Scrope*, Conradus *Tremonius*, Jo. *Trithemius* &c. Originem *à Carmelo Syriæ Monte, quem Elias Propheta, anno ante fauſtiſſimum Chriſti Ortum nongenteſimo circiterq; trigeſimo, cultu ſuo fecerit inſignem, prima inſtituti monaſtici fundamenta defodiens &c.* deducunt Joannes à Jeſu Maria Carmelita Diſcalceatus Calaguritanus, Congregationis S. Eliæ Præpoſitus Generalis, in Compendio Vitæ B. V. Tereſiæ à Jeſu, Fundatricis Fratrum Diſcalceatorum & Monialium Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo lib. I. Cap. II. p. m. 13. ſeqq. edit Colon MDCXIV. Philippus à SS. Trinitate in Itinerario Orientali lib. I. Cap. I. p. m. 2. & lib. III. Cap. I. p. m. 115. ſeqq. edit. Lugd. MDCXLIX. Hinc eſt, quod Auguſtinus à Virgine Mariâ Carmelita Strictioris obſervantiæ Rhedonenſis in Provincia Turonenſi, Sacræ Theologiæ Profeſſor Armoricus, in Privilegiis omnium Religioſorum Ordinum Mendicantium & non Mendicantium, in quibus ipſi communicant, edit. Lugd. MDCLXIV. in Epiſtol. Dedicat. ad Reverendiſſ. Patrem Hieronymum ARI, Aſtenſem, S. Theologiæ Magiſtrum, totius Ordinis Carmelitarum Generalem, ſcribat, *Sacrum Ordinem CARMELITARUM ab antiquitate ſibi vendicare præ Cæteris Majeſtatem.* Verùm de hoc dubitant eruditiſſimi Romanæ Eccleſiæ Cardinales Baronius & Bellarminus. Baronius Tom. VI. Annalium, ad Ann. Chriſt. 444. n. 17. *Sanè quidem reſpuimus atq; exufflamus figmentum illud, incerto auctore proditum, Chronico nimirum, quod extaſſe fingunt apud quemdam Franciæ Regem, quo tradunt, eundem S. Cyrillum Alexandrinum Epiſcopum Monachum fuiſſe montis Carmeli: cui quidem aſſertioni Trithemius leviter nimis fidem præſtitit. Unde hac, quæſo, incerto auctori, ſi, qui certi atq; probati ſunt auctores ejuſdem Cyrilli æquales, ejuſdemq; res geſtas quàm diligenter proſecuti, hæc neſcientes, obruta ſilentio reliquerunt? Vel quæ apud hujus temporis Scriptores mentio de culto Carmelo à Vita Monaſtica Profeſſoribus? Etenim cum apud S. Hieronymum, Palladium, Evagrium, Caſſianum, Theodoretum, Cyrillum Monachum, & alios ſæculi hujus Scriptores frequens mentio fit de Monachis in Palæſtinâ degentibus, nuſquam penitus apud eos de Monachis Carmelitis. Faceſſat igitur ejuſmodi de Monachiſmo Cyrilli in Carmelo fabella, ſicut illa huic haud impar, quâ traditur & Ioannes Hieroſolymorum Epiſcopus Origeniſta fuiſſe etiam Monachus Carmelita: Sicut enim hæc leviter effinguntur, ita & facilè refelluntur. Flagrans quidem Cupido nobilitatis avitæ cogit in-*

ſurdum homines delirare. Et Tom. XII. ad Ann. Chriſt. 1181. n. 13. *Antequam ab Alexandro* (hujus nominis III. R. P.) *ad ejus Succeſſorem convertamus Orationem,* CONSTANTIOR *illa videtur* ASSERTIO, *quod Ordo Religioſorum Carmelitanorum , qui in Paleſtinâ in ipſo Carmelo Monte fixêre ſedes, ſub eodem Alexandro Romano-Pontifice* SUMPSIT ORIGINEM, *quoto autem anno ejus Pontificatus, habetur incertum &c.* Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis, in Joanne Epiſcopo Hieroſolymitano, qui floruit circa annum Chriſti 300. p. m. 115 *Tribuitur eidem Ioanni liber ad Caprafium de inſtitutione Monach. qui habetur in Bibliotheca ſanctorum Fratrum Tom. 9 edit 2. ſed hic liber videtur Scriptus ab aliquo longè poſteriore: ſiquidem in eo libro dicit auctor ſe eſſe Ordinis Carmelitarum, & deſcribit habitum Carmelitarum: at illis temporibus nomen Carmelitarum erat planè inauditum, ut etiam Card. Baronius affirmat, Tom. 6. Annalium, ad annum* 444. *Adde quod ſtylus eſt hominis Latini, & temporum poſteriorum.* Abrahamus Bzovius Tom. XIII. Annal. ad Ann. Chriſt. 1215. n. 6. notat, *quod per id temporis nonnulli à Carmelo Monte, alii verò à D. Auguſtino Doctore,* NOMEN ET ORIGINEM USURPANTES CARMELITARUM ATQUE AUGUSTINIANORUM INSTITUTI INITIA DEDERINT, *& confirmationem ab Innocentio III. poſtulaverint.* Franciſcus Modius (de quo Melchior Adami in Vitis Germanorum Philoſophorum p. m. 425. ſeqq.) Libro ſingulari, in quo cujuſque Ordinis Eccleſiaſtici Origo, progreſſus, & veſtitus ratio breviter ex variis Hiſtoricis quaſi delineatur, in Jani Gualterii Belgæ, ſive potius Jani Gruteri Chronico Chronicorum Eccleſiaſtico-Politico p. m. 1623. ſcribit, CARMELITAS & D. VIRGINIS MONACHOS *vocari, quod in Monte Carmelo Deiparæ fanum fuerit, ubi* PRIMA ILLORUM COENOBII FUNDAMENTA *jecerit Almericus Antiochenus Epiſcopus, qui* PRIMUS *diſperſos in hoc Monte Anachoretas congregavit ſub Alexandro III. anno* 1170. B. Platina de Vitis Pontificum Rom. in Honorio IV. p. m. 244. edit Colon. MDXCIII. refert, quod ORDINEM CARMELITARUM NON SATIS IN CONCILIIS PROBATUM, *mutatis chlamydibus nigris in albas,* ORDINEM EREMITARUM APUD PARISIOS IMPROBATUM *confirmaverit.* Baptiſta Mantuanus, cognomento Hiſpaniolus ſive Spagnolus, Ordinis Carmelitarum Prior Generalis, Trithemio de Scriptoribus Eccleſiaſticis p. m. 387. *Vir in divinis Scripturis eruditiſſimus, & in ſecularium ſcientia nulli ſecundus,* Bellarmino p. m. 305. *poeta doctus & pius,* DE CARMELITARUM OBSERVANTIUM & NON-OBSERVANTIUM controverſiis decimam Eclogam fecit: *Maxima Paſtores agitat diſcordia, Bembe, qui Solymos Colles Galileaq́ rura tenebant &c.* Vide D. Joh. Henricum Hottingerum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ N. T. Secul. XV. ſeu Part IV. p. m. 177. Nec omnia Romæ probari, quæ vel à Carmelitis, vel de ipſis ſunt ſcripta, patet ex Jndice Librorum Prohibitorum, ubi p. m. 198. reperitur: *Liber Jndulgentiarum Fratrum Ordinis Carmelitarum, donec emendetur.* Et p. m. 241. *Paradi-*

ſui Carmelitici Decorû, *Auctore Marco Antonio Alegre de Caſanate.* AUGUSTINIANI habent ſuos Panegyriſtas Joachimum *Brulium*, Antonium de *Buſto*, Nicolaum *Cruſenium*, Cornelium *Curtium*, Philippum *Elſsium*, Thomam *Gratianum*, G. *Maigretium*, Simplicianum à S. *Martino*. Joſephum *Pamphilum*, Jordanum de *Saxonia &c.* Hi B. *Auguſtinum Hipponenſium Præſulem* Caput & Auctorem Ordinis ſui aſſerunt, licet hoc vel expreſsè negent, vel ſaltem in dubium vocent haud incelebres Scriptores Pontificii. Autor quidem Sermonis *de Baptiſmo D. Auguſtini*, in ſacro lavacro ſtatim illum ornat *cuculla nigra*, *& cingulo coriaceo.* Verùm Cardinalis Bellarminus de Scriptoribus Eccleſ. p. m. 96. Ambroſii, cui aliàs tribuitur, non eſſe, nobiſcum agnoſcit. In Tom. X. Operum Auguſtini apparent *Homiliæ ad Fratres in Eremo.* Sed & de illis audiamus judicium Bellarmini p. m. 135. 136. *Sermones ad fratres in Eremo videntur magna ex parte conficti: dicit enim auctor illorum Sermonum, Auguſtinum degiſſe in ſolitudine cum Monachis, ibiq; ad eos ſermones iſtos habuiſſe. At conſtat ex Poſsidio in Vita S. Auguſtini, Auguſtinum poſt baptiſmum Mediolani ſuſceptum rediiſſe in patriam, ad propriam domum, & agros, ibiq; tres annos cum paucis amicis ſuis in commune vixiſſe: deinde factum Presbyterum Hipponenſem Monaſterium habuiſſe intra ipſam Eccleſiam, ibiq; cum nonnullis vitam Apoſtolicam duxiſſe, non utiq; in Eremo, ſed intra urbem. Deniq; factum Epiſcopum cum Clericis ſuis in domo Epiſcopali vitam communem egiſſe: de qua re extant duo Sermones ejus de Communi vita Clericorum, qui ſunt inter Sermones ad Fratres in Eremo quinquageſimus ſecundus, & quinquageſimus tertius: qui duo Sermones ſine judicio collocati inter Sermones ad Fratres de Eremo, arguunt reliquos fictitios eſſe &c.* Vixit ducentis ferè ab hinc annis hìc *SPIRÆ* JACOBUS WIMPHELINGIUS, Bellarmino de Script. Eccleſ. p. m. 305. *Presbyter Eccleſiæ Spirenſis, Orator, Poëta & Hiſtoricus non contemnendus*, cujus elogiũ legere licet apud Jeſ. Jodocum Coccium in Panegyrico Archi-Ducalis Academiæ Molshemenſis, ad ejus Fundatorem LEOPOLDUM Archi-Ducem Auſtriæ, Epiſcopum Argentinenſem & Paſſavienſem, lib. III. Cap. V. p. m. 176. Hic expreſsè ſcripſit: *Sanctum Auguſtinum non fuiſſe Monachum, aut certè non talem, quales jam habentur Auguſtinenſes.* Contrà accuſationem in Curià Romanâ illum ad Papam Julium II. defenderunt, & Arbitri conſtituti fuerunt Conradus Peutingerus, Cæſaris Maximiliani I. Conſiliarius, Jacobus Spigelius Jc. Beati Rhenani ex ſorore nepos, ut in Vitâ Wimpheling. inter Vitas Germanorũ Theologorũ p. m. 22. recenſet Melchior Adami. Eodem fere tempore vixit Paulus Langius Cygnæus, Monachus Benedict. Bozavvienſis, qui Wimphelingij veſtigia legit. In Chronico enim Citizenſi edit. ſupra cit. p. m. 803. 804. liquidum eſſe putat, *quod Fratres Eremitani nec regulam neque cucullam nigram à S. Auguſtino habeant (ut ipſi nunc glorientur) qui regulam Clericorum non mendicantiũ ſcripſit. Imò regula ejus omninò contraria eſt mendicitati, licet eam poſt multi Ordines etiam mendicantium aſſumpſerint, inter quos ſunt & ipſi Eremitæ, qui extunc auctoritate Innocentij IV. vocati ſunt Eremitæ S. Auguſtini. De quo ordine*

ipſe

ipſe Divus Auguſtinus nunquam fuit, neque cogitavit: Quemadmodum & pulchrè teſtatur Robertus Helcbot (qui Bellarmino de Script. Eccl. p. m. 274. & aliis dicitur *Holkoth*, natione Anglus) *Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum, ſuper libro Sapientiæ in cap. 7. ſuper verba: Quam ſine fictione didici &c. Quomodo videlicet ante paucos dies iſti eremitæ (qui ut dicit nunc facti ſunt urbanitæ) cœperunt vivere ſecundum regulam beati Auguſtini, quæ appellatur ſpeculum Clericorum, & contraria eſt expreſsè vitæ Eremiticæ, quia fecit eam pro Canonicis regularibus poſſeſſiones habentium in communi vita, &c.* Confer quæ prolixè habet p. m. 808. 809. 810. ubi tandem in medium adductis ipſorum Pontificiorum Suffragiis concludit: *Prædictos itaq; teſtes ideò adduxi, ne quis arbitretur, proprio me ſenſu ſuprà memorata finxiſſe, ſed hiſtoricæ veritatis amore longo Scrutinio comperta ſcriptis mandâſſe. Origo autem vera dictorum fratrum Eremitarum fuit, Anno Domini MCCIV. à quodam VVilhelmo Pariſienſi Scholari, qui cum magno fervore ad eremum profectus eſt, ubi multos diſcipulos & eremitas congregavit. Et appellabantur hi EREMITÆ quondam VVILHELMITÆ. De iſto VVilhelmo facit mentionem VVernherus in Faſciculo temporum.* Card. Bellarminus Parte altera Chronologiæ ad A. Ch. 1241. p. m. 549. Paulo Langio conſentiens ſcribit, *quod Ordo Eremitarum S. Auguſtini ab Innocentio IV. hoc nomen acceperit, cum anteà Gulielmitæ dicerentur.* Franciſcus Modius l. c. p. m. 1619. fatetur, *quod plerique Auguſtinianos ex quatuor mendicantium familiis, ætate primos non ab Auguſtino, ſed ritu & legibus ejus à Redone quodam Montigranelli Comite ad Feſulas initium cepiſſe velint.* Edidit Theophilus Raynaudus, Jeſuita Gallus, *Titulos ſpecialiter Colendi aliquem ſanctũ præ aliis*, cujus libri editio altera ſuprà Gallicanam ſecundis curis exculta prodiit Venetiis apud Bertanos M. DC. LI. Superiorum permiſſu & privilegiis. Ubi p. m. 278. recenſens *Fundatores Religioſorum Ordinum*, primo loco ponit *Baſilium*, ſecundo *Benedictum* &c. nulla verò ibi *Auguſtini* fit mentio. Quid? quod inter ipſas Auguſtini familias magnum certamen ſit, quænam prior fuerit inſtituta, an CANONICI REGULARES, an EREMITÆ AUGUSTINENSES. Scripſit olim Dominicus Tarviſinus, Canonicus Regularis, Defenſionem ſui Ordinis contra Eremitas; cui Bartholomæus Patavinus, Ordinis Eremitarum, non ſolùm in Concionibus, ſed etiam in civitate Regii Lepidi in Flaminiâ publicè valvis Eccleſiarum & angulis platearum affixis Concluſionibus contra Canonicos Regulares probroſis, ſe oppoſuit; adverſus quem Euſebius Corradus Mediolan. pro Defenſione Tarviſini & ſuæ Congregationis librum edidit, in quo, judice Abrahamo Bzovio Tom. XIIX. ad A. Ch. 1484. n. 2. *nervosè & doctè ſui ordinis cauſam egit: verùm non eâ in dicendo modeſtiâ, quâ oportebat Virum aliàs Religioſum, & doctum, etſi graviter laceſſitum, non reddere maledictum pro maledicto, ſed juxtà præceptum Apoſtolicum, vincere in bono malum.* Quamvis verò Sixtus IV. decreto dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo octuageſimo quarto, V. Idus Maij, *in virtute ſanctæ obedientiæ, ſub pœnâ excommunicationis latæ ſen-*

rentia, tàm Canonicis Regularibus, quàm Fratribus Eremitis *diſtrictè præcipiendo mandaverit, ut ab hujuſmodi prædicationibus, diſputationibus, & jurgiis, & controverſiis penitus abſtineant, &c.* Nihilominus Ambroſius Coriolanus, Eremitarum tunc Generalis, Apologiam ſeu Defenſorem ſui Ordinis ipſi Sixto IV. nuncupavit, ſed *Canonicis Regularibus Lateranenſ.* verba ſunt rurſus Bzovij l. c. n. 4. *apud eundem Summum Pontificem contrà Coriolanum interpellantibus, & multa non ſolùm falſa, ſed probroſa, & contumelioſa contra illorum Congregationem in eo libro contenta objicientibus, cum Pontifex librum Coriolani tribus S. R. E. Cardinalibus examinandum commiſiſſet, ex eorundem relatione igni illum adjudicavit; & idem decrevit Innocentius VIII. Sixti ſucceſſor, qui eundem Coriolanum à jurgiis, & contumeliis necdum abſtinentem carceri mancipavit.* In Indice Librorum prohibitorum p. m. 235. reperitur *Liber, cujus titulus: Rituale ſeu Caremoniale Eccleſiaſticum, juxtà ritum S. Matris Eccleſiæ Romanæ, uſumq; Fratrum Diſcalceatorum S. Patris Auguſtini per Galliam, ſuſpenſus donec corrigatur.* BENEDICTINOS ſuis Encomiis ornant Lucas d' *Achery*, Joh. *Bertelius*, Gabriel *Bucelinus*, Joh. *Crasbequius*, Edoardus *Maihevv*, Hugo *Menardus*, Michael *Schmelzer*, Marcus Antonius *Scipio*, Antonius de *Tepez*, Jo. *Trithemius*, Ferdinandus *Vghellus*, Arnoldus *VVion*, *&c.* Carolus *Stengelius*, Abbas Anhuſanus, ſcripſit *Benedicti Monachorum in Occidente Patriarchæ Regulæ totius Oeconomiam ex A. R. P. D. Benedicti Hæfteni Mon. Afligenienſis Præpoſiti Diſquiſitionibus Monaſticis inſtructam, & decem libris illuſtratam*, edit. Auguſtæ Vindelicorum MDCXLVIII. *Thaumaſiam Benedictinam*, edit. ibidem MDCL. Gilbertus Genebrardus lib. III. Chronographiæ p. m. 247. è Trithemio & Sabellico refert, quod *inter Benedicti diſcipulos XXIV. extiterint R. Pontifices, ducenti ferè Cardinales, Archi-Epiſcopi in diverſis Eccleſiis mille ſexcenti, Epiſcopi* 4000. *Abbates eruditione & ſcriptis celebres* 15700. Quibus Rodolphus Hoſpinianus de Origine Monachatus lib. IV. cap. V. p. m. 116. addit *Canonizatos & Sanctorum Catalogo inſertos* 15600. Verùm de Regula Benedicti diſputari ſolet: *An in illa omnia ſint præcepta, vel aliqua etiam conſilia, & num mortaliter peccet, qui ex diſpenſatione contra hanc Regulam agit? An Benedictus ſtatuerit, ut Monachus profiteatur, non quidem obſervare Regulam, ſed converſionem morum ſuorum ſecundum Regulam?* Quâ de re contrà Cardinalem de Turrecrematâ, Thomam de Aquino agit Hoſpinianus l. c. cap. V. & VI. *An Regulam ſuam pro Monaſterio ſaltem Montis Caſſinenſis, cujus Abbas erat, conſtituerit?* ut voluit Lucas Holſtenius, Hamburgenſis, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, Diſſertatione præliminari in *Codicem Regularum, quas Sancti Patres Monachis & Virginibus ſanctimonialibus præſcripſere, collectum olim à Benedicto Ananienſi Abbate*, quem Alexander VII. R. P. cum adhuc Nuncius eſſet Coloniæ, in Canonicorum Regularium Bibliotheca memoratæ urbis invenit, & deſcriptum Holſtenio, ut curaret imprimi, obtulit; cui contradicunt Ephemerides Eruditorum Gallicanæ Part. I. p. m. 89. Diſputari etiam ſolet: *An Gregorius M. R. P. fuerit Ordinis Benedicti?* De quo Conſtantinus.

tinus Cajetanus Syracuſanus, Abbas Congregationis Caſſinenſis Ord. Benedicti & Præſidens Collegij Gregoriani in urbe, *libris duobus pro Ioanne Diacono S. R. E. Card. de Gregor. M. ejusq; diſcipulorum Monachatu Benedictino*, edit. Salisburgi 1618. De illis tamen Brigitta Regina Sueciæ (Cardinali Bellarmino Tom. III. Diſputationum de Controverſiis Chriſtianæ fidei lib. I. de Indulgentiis cap. III. p. m. 1507. edit. Ingolſtad. M D C I. *vidua ſanctiſsima, cujus Revelationes diligenter examinatæ, & approbatæ per Viros doctiſsimos fuerunt*) in Revelationibus Romæ 1556. excuſis lib. 4. c. 127. p. 389. ad Benedictum: *Nunc fratres tui quærunt veſtes, quæ excitant luxuriam & abominantur aſperitatem, quærunt indumenta, quæ placent hominibus, & quæ carnem excitant ad carnale.* Carolus Stengelius Oeconomiæ Monaſt. lib. VIII. cap. VI. p. m. 236. 237. *Cardinalis à Vitriaco noſtri ordinis à primævo vigore collapſi ruinam deplorans, inter cæteras cauſas etiam illam inſinuat, quod priſtinam abſtinentiam relaxaverint. Atque in illos torquet illud Iſaiæ: Vocavit dominus ad fletum & ad planctum, & ad calvitium, & cingulum Sacci, & ecce gaudium, & lætitia, occidere vitulos, jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum, & idcircò facti ſunt hodiè contemptibiles Deo & hominibus odibiles* Quid de illis conqueratur Hugo de S. Victore Cap. XIX. de Inſtitut. Novit. Bernardus in Apologiâ ad Guilielmum Abbatem, & Serm. XXX. in Cantica, docet Hoſpinianus de Origine Monachatus lib. IV. cap. VIII. p. m. 135. Hinc Raynaldus Archiepiſcopus Ravennas *Benedicti & Auguſtini familias reformavit, iiſque leges vivendi præſcripſit*, apud Bzovium Tom. XIV. Annal. ad A. Ch. 1321. n. 15. *CARTHUSIANOS laudibus* ſuis ornant Arnoldus *Boſtius*, Petrus *Dorlandus*, Henricus *Kalkarienſis* Opere *de ortu & progreſſu Ordinis Carthuſianorum*, quod teſte Hallervordio in Spicilegio p. m. 87. *MS. ſervat Bibliotheca Baſileenſis*, Theodorus *Petreius*, Petrus *Sutorius*, *&c.* De Origine illorum poſt alios ſcribit Bzovius Tom. XIII. Annal. ad A. Ch. 1254. n. 7. *Hoc anno Carthuſienſium Ordo in perpetuum eſui carnium renunciavit. Ortum habuit is Ordo à mirando quodam contingente. Cum enim mortuus eſſet Pariſienſis quidam Iuriſperitus, homo doctiſsimus, & verè etiam hominum opinione optimus, atq; in frequenti coronâ, quæ ad ejus exequias convenerat, ternis deinceps diebus, primùm ſe accuſatum, deinde judicatum, tertiò etiam damnatum pronunciaſſet. Bruno ipſe quoque inſignis in eâdem Academiâ Doctor, territus, & ad ſuos diſcipulos converſus: Quis ergò, inquit, poteſt ſalvus fieri, niſi fugiat mundum? Itaq; cùm ſex Sociis in Gratianopolitanâ eremo, quam fugiendo mundo aptiſsimam judicaverat, conſedit, &c.* Verùm Joannes de Launoy Conſtantienſis, Theologus Pariſienſis, Martino Schoockio apud Georgium Matthiam Kônigium in Biblioth. p. m. 462. *Serius & eruditus veritatis antiſtes ac vindex*, Ephemeridibus Eruditorum Gallicanis part. I. p. m. 101. 102. *Doctor Veteranus, eruditiſsimusq; hujus ſeculi Vir*, Nobiliſſimo & Conſultiſſimo Dn. Joanni Eiſenhart J. U. D. & in Academiâ Julia Profeſſori meritiſſimo, in Elegantiſſimo Commentario de Fide Hiſtorica, paucis abhinc menſibus

Helm-

Helmſtadij edito, Cap. XI. p. m. 109. 110. *accuratiſſimus veritatis arbiter, & Cenſor veritatis Hiſtoricæ*, Relationem hanc Bzovianam figmentum eſſe ſtatuit in *Defenſa Romani Breviarij Correctione circa Hiſtoriam Sancti Brunonis, ſeu de verâ cauſâ ſeceſſus S. Brunonis in Eremum Diſſertatione*, quam juſſu Auroris Vir Illuſtris Joannes Albertus Portnerus in Germania typis primùm mandari curavit Argentorati A. O. R. CIↃIↃCLVI. Qui Launoyus Præfat. ad Ampliſſimum Virum Joannem Bapriſtam de Contes Eccleſiæ & Academiæ Pariſienſis Cancellarium: *Qualis ſit hæc fabula, jam ſatis opinor vir prudens intelligis, eam eſſe, quæ ex incerto rumore prognata fertur Sanctum Brunonem in eremum pepuliſſe. Romanum Breviarium per aliquod tempus occupavit, ſed poſteà in recenſione Breviarij ſublata eſt.* Et paulo poſt: *Pro eâ, quâ vales ingenij ſolertiâ videas precor, num aſſerendæ ſuis legibus veritati conſuluerim, & eam quæ fictis fabulis Eccleſiæ & Academiæ Pariſienſis nomini inurebatur, injuriam propulſaverim.* Juxtà Geſnerum in Biblioth. p. m. 123. Bonifacius Ferrarius de Valentia, natione Cathalanus, Ordinis Carhuſienſis, ſcripſit Tractatum: *Cur in Ordine Carthuſienſi pauci Canonizati ſint, & miracula publicè non faciant, ad Bonifacium ejuſdem ordinis lib. I.* Carthuſiani *quâ obligatione teneantur à Carnibus abſtinere*, videatur Antoninus Diana Panormitanus Clericus Regul. coràm Urbano VIII. & Innocentio X. Epiſcoporum Examinator, & Sancti Officii Regni Siciliæ Conſultor, in Summa p. m. 113. edit Colon. MDCLVI. DOMINICANORUM (qui cur in Gallia vocentur JACOBITÆ, indicat Renatus Chopinus l. c. lib. I. p. m. 22.) ſive PRÆDICATORUM laudes deprædicant *Leander Albertus*, Ferdinandus *del Caſtiglio*, Hyacinthus *Choquetius*, Franciſc. *Diacetius*, Alfonſus *Fernandez*, Jo. Antonius *Flaminius*, Gerhardus *Fracbetus*, Jo. *Garzonius*, Matthæus *Gozzeus*, Bernardus *Guido*, Antonius *Maſſæus*, Petrus *Malpæus*, Antonius *Malletus*, Thomas *Malvenda*, Jo. Michael *Pius*, Seraphinus *Razzius*, Stephanus *Salanacbus*, Jordanus *Saxo*, Antonius *Senenſis* &c. Vincentius Baronius Libris V. Apologeticis, quos ſcripſit pro Ordine Prædicatorum, ex illo *Tres ſummos Pontifices recenſet*, 50. *Cardinales*, 600. *Archiepiſcopos, & Epiſcopos numero infinitos.* Vid. Ephemerides Eruditorum Gallican. Part. III. p. m. 628. Abrahamus Bzovius tamen Tom. XIV. Annal. ad Ann. Chriſt. 1337. n. 10. agnoſcit Benedictum XII. R. P. ergà *Ordinem Prædicatorum* non ita benè affectum fuiſſe, dum ſtatuit: *Ne conciones ad populum promiſcuè haberent: ne pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrarent; ne mendicato paſſim victum quærerent. Ne impoſterum, niſi paucos, quibus alendis reditus certi uniuſcujusq; Monaſterii ſatis eſſent, ad religionem admitterent: Neve præter deſignandum in quocunq; Monaſterio numerum, alios Fratres ſuſciperent.* Alphonſus à Caſtro, Zamorenſis, Hiſpanus, Ordinis Minorum (quem Sixtus Senenſis lib. IV. Bibl. S. p. m. 206. *acri ingenio Virum & hæreticorum hoſtem acerrimum* nominat) de Hæreſ. lib. I. p. 23. ſcribit: *Propter quod non poſſum non ſtomachari in eos, qui ut ſuum inſtitutum laudant, non verentur*

coràm populo jactare & dicere , eum qui ſemel habitum iſtum S. Dominici Ordinis ſuſceperit , non poſſe in fide errare aut deficere. Nonne hoc aperta eſt blaſphemia, cum per hoc magis tribuere videatur Habitui , quo induitur , quàm fidei aut gratiæ Dei. Eſtné fortè potentior pannus ille , quam Dei gratia aut fides? Abſit tanta dementia. Confer verba ſeqq. quæ adducit Elias Ehingerus Seculo XV. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ p. m. 743. 744. edit. Francof. MDCLIX. Abrahamus Bzovius Tom. XIIX. ad Ann. Chriſt. 1495. n. 24. in vitâ Savonarolæ refert , non minimam invidiæ cauſam fuiſſe, *quod pro reſtitutione vitæ arctioris adverſus eos, quos CONVENTVALES vocant, laboraverit.* Conf. n. 25. ſeqq. Contra DOMINICANOS ſcripſit Jeſuita Theophilus Raynaudus ſub nomine PETRI A VALLE CLAVSÆ, juxtà Placcium p. m. 170 *de immunitate CYRIACORVM à Cenſuris*, qui liber tamen in Operibus ejus, quæ edita ſunt Lugduni in folio XIX. Voluminibus , ut & alij nonnulli ejus Tractatus , non reperitur, ſicut obſervant Ephemerides Eruditorum Gallicanæ Part. III. p. m. 644. 645. Raynaudo P. Jo. Caſales oppoſuit CANDOREM LILII, *ſeu Ordinem Prædicatorum à calumniis & contumeliis Petri à Valle Clauſa vindicatum.* Uterque tamen liber in Indice librorum Prohibitorum p. m. 278. 292. damnatur. Sicut & p. m. 282. *Apologia pro ſacra Congregatione Indicis, ejusq; Secretario , & Dominicanis , contra Petri à Valle clauſâ Libellum famoſum, inſcriptum de Immunitate Cyriacorum à Cenſurâ.* Et p. m. 248. *liber cui titulus : Mariæ Deiparæ in Ordinem Prædicatorum viſcera Materna.* FRANCISCANOS deſcribunt Ludovicus Donius d'*Attichi* , Angelus à *S. Franciſco*, Franciſcus *Gonzaga*, Fr. *Lanovius* , Petrus *Marchantius* , F. Marcus *Olyſſiponenſis* , F. *Pelegrinus* , Petrus *Rudolphus Toſſinianenſis* , Lucas *VVaddingus* , Henricus *VVillot*, *&c.* Franciſci *Mauri* Hiſpellatis Minoridæ Franciſciados lib. XIII. Carmine Heroico ad Sereniſſimum Coſmum Medicem Etruriæ Ducem , editi ſunt Antverpiæ ex Officina Chriſtophori Plantini Prototypographi Regij MDLXXII. Verùm ut *Dominicanis* contrarius fuit *Benedictus XII.* ita *Franciſcanis Iohannes XXII.* Quod patet ex prolixo *Decreto dat. Avinioni X. Calend. Febr. Pontificatus anno ſecundo*, quod habet Bzovius Tom. XIV. Annal. ad A. Ch. 1318. n. 1. Ex *Sententia Excommunicationis in Michaelem de Caſena , Ordinis Fratrum Minorum Generalem Miniſtrum, &c.* apud eundem Bzovium ad A. Ch. 1330. n. 7. Franciſcus Sanſon Generalis Franciſcanorum , admonens Fratres ad regulæ obſervantiam, ad componendam vitam & mores inſtituendos : *Fratres, inquit , mei dilectiſſimi, à primordio Religionis noſtræ floruit CONSCIENTIA , ſed paulatim ſublato decore , ablata eſt prima Syllaba , & remanſit SCIENTIA : nunc verò , noſtris culpis exigentibus , ablata etiam prima ſyllaba, remanſimus PVRA ENTIA, ET STIPITES , ET STATVÆ,* ut è Petri Rudolphi Toſſinianenſis Hiſtoria Seraphicæ Religionis l. 2. p. 244. edit. Venet. in folio apud Franciſcum de Franciſcis 1586. refert Elias Ehingerus l. c. p. m. 497. 498. Quænam inter *ipſos Franciſcani Ordinis Fratres* exortæ ſint *rixæ & Contro-*

verſiæ

verſa, teſtari poterit Libellus Latinus excuſus Venetiis 1505. 29. Maii cui titulus eſt: *Minorica Elucidativa rationabilis ſeparationis Fratrum Minorum de Obſervantiâ ab aliis Fratribus ejuſdem Ordinis una cum Regulâ Minorita*; Cui *Minoricæ* Fratrum dictorum de Obſervantiâ, oppoſita fuit *AntiMinorica*, edita Venetiis eodem anno 25. Junii, auctore *Petro de Cruce*, Hiſpano Portugallenſi, S. Th. D. Ordinis Minorum, ad Reverendiſſimum in Chriſto Patrem, artium & S. Theologiæ Monarcham Eximium D. D. Dominicum Grimanum, tituli S. Marci Presbyterum, Cardinalem, Patriarcham Aquilegienſem digniſsimum, totiuſque Ordinis Minorum Protectorem meritiſsimum, ut recenſet idem Ehingerus l. c. p. m. 703. 704. Quam curam adhibuerit Fr. Ximenius, Archiepiſcopus & Cardinalis Toletanus *corrigendis atq; ad veterẽ diſciplinam redigendis Cœnobiis Minoritarum &c.* Indicat Bzovius Tom. XIIX. ad Annum Chriſt. 1495. n. 24. Confer eundem ad Ann. Chriſt. 1496. n. 18. 19. De *corruptâ minorum Regulâ* videndus Nobilis Poëta Ambroſius Novidius Fraccus Ferentinas ad Paulum III. R. P. Sacrorũ Faſtorum lib. 10. p 129. edit. Antverp. 1556 apud Ehingerum l. c. p. m. 698. ſeqq. Quomodo *Franciſcani cum Dominicanis jam olim contentionis reciprocaverint ſerram*, vel unicus docere poterit Abrahamus Bzovius. Ut enim ſilentii peplo involvam Controverſiam de *Sanctitatis vitaq́; religioſa rigore*, de quâ ex Matthæo Pariſienſi D. Hottingerus Hiſtor. Eccleſ. N. T. Triade ſeu Parte Tertiâ p. m. 370. *Dominicani* ſtatuebant *Chriſtum fuiſſe proprietarium*, quibus favebat Johannes XXII. qui Decreto declaravit, *hæreticum eſſe cenſendum aſſerere, Chriſtum & Apoſtolos nihil privatim habuiſſe.* Quâ etiam de causâ anno 1337. d. 3. Junii combuſtus fuit Fr. Franciſcus Piſtorienſis, Ordinem Minorum profeſſus, *quod ſe Decretis Pontificiæ Sedis de Paupertate Evangelicâ oppoſuiſſet*, ut refert ad annum citatum Bzovius n. 3. *Franciſcani* verò ſive *Minoritani* contra diffinitionem & determinationem Johannis XXII. aſſerebant, *Papam non potuiſſe revocare Conſtitutionem Nicolai III. nec ex quacunq; causâ poſſe delere Ordinem Fratrum Minorum*, ut habet idem Bzovius ad Ann. Chriſt. 1354. n. 18. Diſputabatur de *pretioſo Sanguine Chriſti in triduo Paſſionis, dum jacuit in terrâ ſparſus, an dignus fuerit latriæ cultu?* Quod publico Sermone ad Populum apud Brixiam Ciſalpinæ Galliæ Civitatem, negavit Jacobus Marchianus Ordinis Minorum Profeſſor; affirmarunt Dominicani, & res *magno animorum æſtu* Romæ per triduum fuit ventilata, adeò ut Pius II. R. P. diplomate dat. Anconæ ann. 1464. Calend. Auguſti ſtatuerit & ordinarit, *quod nulli Fratrum prædictorum deinceps liceat de ſupradictâ dubietate diſputare, prædicare, vel publicè, aut privatim verbum facere &c. donec ſuper dubietatis hujuſmodi deciſione, quid tenendum ſit, fuerit diffinitum.* Utriuſque Partis argumenta prolixè producit Bzovius Tom. XVII. ad Ann. Chriſt. 1463. n. 1. ſeqq. Diploma Pii II. exhibet ad A. Chriſt. 1464. n. 10. Jactabant *MINORITÆ peculiare id ſuo FRANCISCO, uni, & ſoli fuiſſe, ut Stigmata paſſionis Dominicæ in*

 ſuo

ſuo corpore impreſſa geſtarit : DOMINICANI contrà tenebant, *privilegium illud etiam communicatum fuiſſe* CATHARINÆ SENENSI, quæ Controverſia agitata ſub Sixto IV. R. P. qui, cum ex Ordine Minorum fuerit, *propoſitis pœnis & Cenſuris vetuit, imagines Catharinæ Senenſis cum Stigmatibus pingi aut fingi, aut in publicum exponi : & ſi quæ proſtarent, Stigmata deleri, abradi & amoveri &c.* & cum circa finem ſuperioris ſeculi renovata fuiſſet, Clemens VIII. diplomate dat. Romæ d. XXVII. Novemb. MDXCIX. *Negotium Cardinalibus ſuper Sacris ritibus & Ceremoniis deputatis, examinandum, cognoſcendum, & decidendum, ac terminandum commiſit, cum decreto tamen, quod interim nihil innovaretur.* Vide Bzovium Tom. XIIX. ad Ann. Chriſt. 1483. n. 20. Ventilata fuit & iſta Controverſia *de Conceptione B. Virginis Mariæ, an in peccato Originali fuerit concepta, necne?* Prius affirmabant *Dominicani*, poſterius *Franciſcani*, & quidem tanto ardore, *ut alteri alteros hæreticos dicerent.* Quâ de re Decretum Sixti IV. legere licet apud eundem Bzovium l. c. n. 21. Nec *Franciſcanos* in omnibus conſentire *Auguſtinianis*, confirmát Lucas Waddingus Menapienſis Hibernus, Ordinis Minorum Archihiſtoriographus in Apologetico de prætenſo Monachatu Auguſtiniano S. Franciſci, edit. Lugd. 1641. In Indice Librorum Prohibitorum inveniuntur p. m. 268. *Libri omnes impreſſi, & qui inconſulta S. Congregatione imprimentur tractantes controverſiam de verâ, & non interruptâ ſucceſſione filiorum S. Franciſci, & de vera forma caputii ejuſdem.* Ibidem: *Vera & dilucida explicatio præſentis ſtatus totius Seraphicæ FF. Minorum Religionis, à Sancto & Magno Franciſco Patriarcha inclitò numine Divino inſpirante, fundata, per F. Bonitum Combaſſon.* Et p. m. 280. *Inſcriptiones omnes Imaginum, Sanctorum Franciſci & Antonii de Padua, in quibus dicitur, formam habitus, quâ depicti ſunt, eſſe eandem, quâ ipſi uſi fuerunt; vel quibus aſſeritur in hoc vel illo Ordine S. Franciſci eſſe veram, legitimam, & non interruptam ejuſdem S. Patris in Filios ſucceſſionem &c.* IESVITÆ habent Præcones Philippum *Alegambe*, Jacobum *Bidermannum*, Philippum *Labbeum*, Joh. Petrum *Maffeum*, Petrum *Ribadeneiram*, Andream *Schottum*, Horatium *Turſellinum &c.* Scripſit Andreas Mendo Lucronenſis, Regius Concionator, Supremi Inquiſitionis Senatus Cenſor, in Collegio Salmantino Theologiæ Scholaſticæ Profeſſor, ac Sacræ Scripturæ Interpres, *Criſin de Societatis Ieſu Pietate, doctrina, & fructu multiplici*, edit. Lugdun. ſumptibus Horatii Boiſſat, & Georgii Remeus, MDCLXVI Verùm Melchior Canus (quem Nobiliſſimus Dn. D. Eiſenhartus in Comment. de Fide Hiſtorica Cap. III. §. 5. p. m. 40. haud immeritò *doctiſſimum Canarienſium Epiſcopum* appellat) lib IV. Loc. Theol. c. 2. de nomine Eccleſiæ diſſerens, quam ab Apoſtolo docet vocari Societatem Jeſu Chriſti, hæc habet: *Quæ ſine dubio Societas cum Chriſti Eccleſia ſit, qui titulum illum ſibi arrogant, hi videant, an* HÆRETICORVM MORE, *penes ſe Eccleſiam exiſtere* EMENTIANTVR. De Societate iſta ann. 1548. judicium ſuum idē Canus literis conſignavit, quod manu ejus perſcriptum Gaſpar Scioppius in Infamia Famiani p. m.

77.

p. m, 77. adhuc ſuo tempore extitiſſe teſtatur penes Dominicum Canum, fratris ejus filium, Epiſcopum Geditanum, qui Carolo Hiſpaniarum Principi fuit à Confeſsionibus &c. Benedicti Ariæ Montani Epiſtolam ad Philippum II. Hiſp. Regem ſcriptam 18. Februar. ann. 1572. & ex Hiſpanico Sermone Latinè converſam exhibet idem Scioppius l. c. p. m. 139. ſeqq. Haud vulgare elogium eſt, quod Roberto Bellarmino tribuunt Cornelius à Lapide in Encomio Scripturæ præfixo Comment. in Pentateuchum n. 38. Andreas du Sauſſay Cont. lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis p. m. 179. 180. Et tamen parùm abfuit, quin Imperioſioſsimus Sixtus V. omnia illius Opera Pontificiâ Cenſura aboleret, *Vt illius Ordinis Patres, cujus tunc erat Bellarminus, ſeriò ſibi narraſſe* refert Guil. Barclaius Jct. de Poteſtate Papæ: An & quatenus in Reges & Principes ſeculares jus & imperium habeat, p. m. 101. edit. Muſsipont. apud Franciſcum du Bois, & Jacobum Garnich 1609. *Prætenſam congregationem IESVITISSARVM* ſuppreſsit Urbanus IIX. R. P. Decreto dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis MDCXXXI. Idibus Januarii. *Scriptores Anti-Ieſuiticos* ex *ipſis Pontificiis* haud exiguo numero producunt D. Joh. Henr. Hottingerus Hiſtor. Eccleſ. N. T. Secul. XVI. ſeu Parte Quinta p. m. 495. ſeqq. Vincentius Placcius de Anonymis detectis Cap. IX. p. m, 67. 68. Videatur ſaltem Romanus Hay, Ordinis Benedictini, Imperialis Monaſterii Ochſenhuſani in Sueviâ Preſbyter Theologus, in Aula Eccleſiaſtica & Horto Cruſiano edit. Francof. MDCLVIII. Nec ab Indice Librorum Prohibitorum planè excluduntur Societatis Scriptores, dum p. m. 198. *Henricus Henriquez*, p. 205. 206. *Ioannes Mariana*, p. 232. *Io. Baptiſta Poza*, p. 234. *Melchior Inchofer*, p. 249. *Michael Rabardeus*, p. 251. 252. *Theophilus Raynaudus*, p. 251. *Io. Euſebius Nierembergius*, p. 261. *Petrus Halloix & Franciſcus Amicus*, inter eos, quibus nigrum præfigitur theta, ſuum ſibi locum vendicant. Si *effigies vultusq́ Philoſophorum gemmis inſculptos in annulis circumferre adeò familiare Antiquis fuit, ut etiam pro amuletis haberent, quibus ſe felices credebant, & fortunatos. Eumq́ morem uſurpavit Vir omnium conſenſu diſertiſsimus Muretus, qui SOCRATEM ita amavit, ut in annulo geſtaret, & vetere ejus imagine ſignaret: uti à Stoicis ZENO, ab Academicis PLATO, à Peripateticis, Sigillaritiis annulis geſtatus ARISTOTELES, & à pleriſq́ omnibus EPICVRVS, arbitrantibus hoc genti & nomini ſuo fauſti eſſe ominis, Tanta erat fama Viri magni, qua tamen excidiſſe videri poterat, niſi illum Petrus Gaſſendus, Dinienſis Eccleſiæ Præpoſitus, eruditiſsimo Commentario Librorum octo, ſancta & recta præcepiſſe oſtendiſſet; nec fuiſſe cute diſtenta, qualem depinxit Apollinaris Sidonius, ſed ea vita innocentia, puritate, auſteritate, qua Philoſophorum alius nemo fuerit, ea ingenii perſpicacia, judiciiq́ maturitate, qua non facilè ceteris concedat: deniq́ Otii magiſtrum fuiſſe, ſed honeſti;* Quæ verba ſunt Joannis Chifletii Canonici Tornacenſis in SOCRATE, ſive de Gemmis ejus Imagine cœlatis Judicio p. m, 18, Si Diogenes Laertius laudem poſteritatis

 habet

habet, quod priſcos nobis deſcripſerit Philoſophos, cujus de Vita & Moribus Philoſophorum Libros X. Gerhardus Jo. Voſsius *Opus utiliſsimum* nominavit. Si *DIVERSORUM ORDINUM*, ut dixi, *SCRIPTORES* apud ſuos in pretio habentur, & paſſim leguntur. Quis tibi, *VIR EXCELLENTISTIME*, niſi cui in mente ſtupor, in animo livor, vitio vertet, dum remota profana ſuperſtitione, *VIRORUM* de Eccleſia noſtra & Republica literaria optimè meritorum Imagines, velut in nitidiſsimo ſpeculo nobis exhibere ſtudes, quorum non ſolùm vultum intueri, ſed & virtutes imitari decet, juxtà monitum Hebr. XIII. 7. *Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem.* Utiliſſimam ſanè operam impendit Vir Cl. M. HENNINGUS VVITTEN, Riga-Livonus, qui *Memoria Theologorum noſtri ſeculi Clariſsimorum Renovata Decades* Francofurt. ann. MDCLXXIV. edi curavit. Sed dum tu, *AMICORUM OPTIME, concatenata ac indefeſſa induſtria, duro, operoſo, anxio, inſomni ac penè inceſsabili labore*, ut tua verba hîc repetam, *Centurias* nobis promittis, eò majori beneficio Orbem eruditum tibi debitorem efficies. Inter Theologos, quorum Vitæ Delineationes adhuc deſideras, *Valentinum Vannium, Abbatem Maulbrunnenſem*, breviter exhibet *Heinricus Pantaleon*, Medicus & Hiſtoricus Baſilienſis, Propoſographiæ Heroum atque Illuſtrium Virorum totius Germaniæ Parte tertia p.m. 383. edit Baſil. ann. 1566. *Thomam VVegelinum*, Auguſtanum, SS. Th. D. & in inclyta Academia Argentoratenſi Profeſſorem Celebratiſsimum, Eccleſiaſtici Conventus Præſidem &c. d. 16. Martii ann. 1629. piè defunctum, ejus in Cathedra & Suggeſtu Succeſſor, Theologus pientiſſimus Dn. D. *Iohannes Schmidt* in Oratione Parentali, ſolenni Panegyri d. 18. Februar. ann. MDCXXX. habita. D. *Melchiorem Nicolai* Præpoſitum Stuttgardienſem, inter Germaniæ noſtræ Theologos Senior hodie Reverendiſsimus Dn. D. *Tobias VVagnerus*, Univerſitatis Tubingenſis Profeſſor Theologiæ Primarius & Cancellarius, in *Vita Melchioris Nicolai, Theologi VVirtembergenſis Conſummati, anno* MDCLXI. *d.* 15. *Maii ſolenniter perorata*, edit. Tubing. typis Johan. Henrici Reiſij, anno MDCLXII. *Ioh. Fridericum Heilbrunnerum* SS. Th. D. Sereniſſimi Principis, FRIDERICI, Marchionis Badenſis ac Hachbergenſis, &c. &c. Conſiliarium Eccleſiaſticum, utriuſque Marchionatus, Badenſis & Hachburgenſis, Superintendentem Generalem, Eccleſiaſten Aulicum Primarium, & in Illuſtri Gymnaſio Profeſſorem Theologiæ undiquaque celebratiſsimum, Fautorem meum, quod ipſius ad me literæ teſtantur, honoratiſsimum, Dn. *Ioh. Gerhardus Arnoldus*, Gymnaſii Durlacenſis Rector & Profeſſor Eloq. ac Hiſtor. P. jam veteri amicitia mihi cognitus, in Panegyrico Beatis ipſius Manibus dicto MDCLXIX. d. II. Septemb. *Iohannem Andream Piccartum*, SS. Th. Licent. Eccl. Suinfurtenſis Paſtorē & Superintendentē graviſsimum, ut & Scholæ Gymnaſiique Inſpectorem & Profeſſorem fideliſsimum, meritiſsimū,

Succeſ-

Succeſſor ejus D. M. *Caſparus Heuniſchius*, Theologus & Chronologus accuratiſſimus, Fautor itidem meus multis nominibus æſtimandus, in *Soliloquio Davidico*, ſive *Concione Funebri* 20. April. 1666. habita, & Norimbergæ anno ſequenti typis impreſſa; M. *Chriſtophorus Schmidt* Oratione Parentali d. 5. Junij anno 1666. Feria tertia Pentecoſtali, in frequenti Literatorum conſeſſu in Auditorio Gymnaſtico publicè habita. Quæ *ultimi honoris Piccartiani monumenta* à Viro Nobiliſſimo & Conſultiſſimo Dn. IOHANNE HEINRICO GABLERO, U. J. D. Excellentiſſimo, noſtræque Reipublicæ Syndico longè digniſſimo, Fautore & Amico integerrimo communicata tranſmitto. *Cornelium Marci*, Norimbergenſium Theologum, delineavit *Chriſtophorus Ludovicus Dietherrus*, Juriſprudentiæ Doctor, & Reipubl. Patriæ Norimb. Advocatus, *Laudatione Funebri* Norimbergæ, In Cœnobio D. Auguſtini, in ſolenni Comitis, Baronum, Scholarcharum, aliorumque magni nominis Virorum conſeſſu, publico nomine dicta an. 1646. Quæ eſt inter Orationes ejus quinque varij argumenti, ordine tertia p. m. 147. edit. Norimb. MDCLIX. Hos inter merito ſuo locum depoſcit Vir Maximè Reverendus, Ampliſſimus, Excellentiſſimus Dn. IOHANNES CONRADUS SCHRAGMULLERUS, SS. Th. D. non ſolùm SPIRÆ, ſed & alibi locorum celebratiſſimus, qui poſtquam Univerſitates *Argentoratenſem*, *Marpurgenſem*, *Salanam*, *Leucoream*, & *Hieranam* in peregrinatione ſuâ literaria adiiſſet, à vicina nobis *Vangionum metropoli*, & à *Revalienſibus* in ipſam longè diſſitam *Livoniam* expetitus; autoritate Sereniſſimi Principis ac Dn. Dn. GEORGII, Haſſiæ Landgravij, &c. Nutritij ſui Clementiſſimi, ad *Cathedram Academicam Marpurgenſem* anno 1633. accitus, tandem in locum piè defuncti Dn. JOH. GEORGII NOTTERI, SS. Th. L. in Academia Patria Argentoratenſi quondam SS. Th. Profeſſoris, Eccleſiæ poſteà noſtræ Antiſtitis, à *faſcibus Rectoratus Academici* anno 1639. SPIRAM evocatus, non ſolùm veritatis cœleſtis dogmata ſuis Auditoribus ſeptem ferè luſtrorum decurſu explicuit, ſed & quid calamo poſſet, Antagoniſtis oſtendit. Quem *Virum*, quod in meos, cum adhuc Gymnaſij noſtri diſcipulus eſſem, ſuetis Examinibus profectus inquirere, conatibuſque favere, *Argentinæ* Dn. D. *Iohanni Schmidtio*, *Gieſſæ Haſſorum* Magnifico Dn. *Iuſto Sinoldo Schützio*, ICto, utriuſque Regiminis ibidem Cancellario, *Tubingæ* Dn. D. *Tobiæ VVagnero* commendare voluerit, poſt depoſitas etiam mortalitatis exuvias æſtimo, & illius memoriam illibatam conſervo. De quo plura poſſem ſcribere, niſi vel *amicitiæ*, vel *adfinitati*, quâ FAMILIÆ SCHRAGMULLERIANÆ devinctus ſum, aliquid dare viderer. Sunt in manibus meis Epiſtolæ Illuſtriſſimorum Heroum, PHILIPPI *Comitis Leiningenſis & Rixingenſis, Dn. in VVeſterburg, Schaumburg, Forbach & Mörſpurg, S. R. I. ſemper Liberi, Cameræ Imperialis quondam Præſidis*, Domini mei, dum viveret, Gratioſiſſimi, FRIDERICI EMICHONIS,

Comitis

Comitis Leiningenſis & Dagspurgenſis, Dn. in Aſpremont, &c. Magnorum Virorum; *Pro-Rectoris, Decanorum & Profeſſorum Univerſitatis Gieſſenſis, Ioh. Friderici Iägeri, Sereniſſimo Duci VVurtembergico ab intimis Status Conſiliis, Chriſtophori Scheibleri Superintendentis & Gymnaſiarchæ quondam Tremonienſis, D. Ioh. Georg. Dorſchei, D. Tobiæ VVagneri, D. I. C. Dannhavveri, D. Menonis Hannekenij, D. Balthaſ. Mentzeri, D. I. Chriſtfried Sagittarij, Generalis Superintendentis Altenburgenſis, D. Petri Haberkornij, D. Chriſtophori Zelleri, Ioſephi Schlotterbeckii, Abbatis Maulbrunnenſis, Bertholdi Iani Generalis Superintendentis in Ducatu Göttingenſi, in Pædag. Theol. Profeſſoris, Conradi VVeiningeri Generalis in Inferiori Marchionatu Durlacenſi Superint. Seniorum, Paſtorum, & Diaconorum Miniſterii Auguſtani, M. Henrici Brummeri, Paſtoris Aulici & Sup. Palæoleiningenſis, poſteà SS. Th. D. VVilhelmi Lyſeri SS. Th. L. Specialis Superint. Lauffenſis, D. Philippi Ludovici Hannekenij, Profeſſ. Gieſſ. Iacobi Richardi, nunc SS. Th. D. & Illuſtriſſimi Comitatus VValdeccenſis Superintendentis* (cui ob *Examen Indifferentiſmi Moralis Indifferentiſtis Antiquis & Recentioribus oppoſitum*, mihi nuper benevolè tranſmiſſum hîc publicè gratias ago, ſuo tempore relaturus) *M. Ioh. Georgij VVibelij, Halæ Suevorum ad D. Michael. Paſtoris & Capituli Decani, M. Ioh. Scheibleri Inſpectoris Lenneppenſis, M. Adami VVeinheimeri Superint. Eslingenſis, M. Caſp. Heuniſchij Superint. & Profeſſ. Suinfurt. Ioh. Henrici Horbij, Comitatus Sponheimenſis Superint. Conſiliarij Eccleſiaſt. & Paſtoris Trorbacenſis, Nicolai Saur Superint. Türckheimenſis, Ioh. Adami Schefferi Paſtoris Campidonenſis, Ioh. Conradi Mohrij, M. Bernhardi VValdtſchmidtij, Ioh. Grambſij, Paſtorum Francoſurtenſium, M. Ioh. Chriſtiani VVenzij Eccleſiaſtis Darmbſtattini, M. Henrici Schröderi Paſtoris VVormatienſis, M. Tobiæ Sartorij Paſtoris Landavienſis, M. Michaelis Theophili Lehmanni P. L. C. Paſtoris Primarij Zittavienſis, &c.* quæ de beatiſſimi noſtri SCHRAGMULLERI meritis abundè teſtari poſſunt. Alia ſuppeditabit *Vitæ Curriculum* Concioni Funebri annexum. De ſcriptis ejus (quæ quidem extant, nam plura adhuc inter MSS. latent) Catalogum concinnavit digniſſimus tanto Socero Gener, Vir Pl. Reverend. & Præcellentiſſimus Dn. GUSTAVUS ADOLPHUS HILTEBRANDT, ad D. Georg. Paſtor, & unà cum ſuprà laudato Dn. JO. PETRO WEIDTMANNO Gymnaſij noſtri Inſpector vigilantiſſimus. B. SCHRAGMULLERI Collega fuit celeberrimi nominis Theologus & Philologus Dn. JOHANNES HENRICUS URSINUS, SPIRENSIS, TIBI, ut in Supplementis ad Cap. II, Diſcurſus Philologici de Oſculis p. 132. ſcribis, FAVENTISSIMUS, de quo Virorum Eruditorum in publicis ſcriptis elogia paſſim ſunt obvia, unum tamen hoc reliqua omnia ſuperare videtur, dum Vir Variæ lectionis, & haud vulgaris eruditionis, Dn. M. Gregorius Michaelis, Præpoſitus Regius Flensburgenſis, doctiſſimis ſuis Notis in Jacobi Gaffarelli Curioſitates Inauditas de Figuris Perſarum Taliſmannicis, Horoſcopo Patriarcharum & Characteribus Cœleſtibus p. m. 18. edit.

Ham-

Hamburg. anno CIↃ IↃCLXXVI. illum *Germaniæ & inventutis virtutibus dedicatæ Præceptorem incomparabilem* nominat. Vitæ Curriculum ſubjungitur Paralipomenis Miſcellaneorum Theologicorum & Philologicorum edit. Norimb. 1667. De *Vocatione ſuâ ad Superintendentis in Eccleſia Ratisponenſi Spartam* agit in Epiſtol. Dedicat. Analectorum Rhetoricorum ad Nobiliſſ. Conſultiſſ. atque Excellentiſſimum Virum Dn. *Iohannem Caſparum Lenzium*. JC. Clariſſ. inclutæ & Liberæ S. R. I. Reipubl. Ratisponenſi à Conſiliis, Conſiſtorij Eccleſiaſtici Adſeſſorem, Gymnaſii Scholarcham, &c. edit. Norimb. anno 1660. Sed cum VIR fuerit, non ſolùm calculo tuo, ſed & ipſius veritatis ſuffragio, MODESTISSIMUS, ſilentij peplo involvit *Literas*, ut vocant, *Vocatorias* d. 10. Octobr. 1655. *Epiſtolam* Magnifici *Senatus Ratisponenſis* ad Ampliſſimum *noſtrum Magiſtratum* d. 8. ejusd. menſ. *Literas* Dn. D. *Iohannis Schmidtij*, ad ipſum τὸν μακαρίτην URSINUM 20. Septembr. anni ejusdem ſcriptas, quas *lectu ſanè digniſſimas* è Bibliothecâ Viri Pl. Reverendi & Præcellentiſſimi Dn. *MARTINI SEUFERTI*, Plaviâ-Variſci, Magni Theologi Dn. D. *VVolfgangi Frantzij* è Sorore nepotis, Gymnaſij noſtri olim Rectoris, poſt ad D. Auguſtini Paſtoris fideliſſimi, qui conjunctiſſimus URSINI noſtri fuit amicus, mihi à Dn. *Iohanne Henrico Seuferto* M. F. in Gymnaſio noſtro Tertiæ Claſſis Præceptore communicatas, unà cum illis, quæ B. SCHRAG-MULLERUM concernunt, tranſmitto. Si omnes præclari nominis Theologos à *Luthero* uſque ad noſtra tempora recenſere vellemus, non *Centuriæ* ſed *Myriades* ſe nobis offerrent, quorum in Eccleſiam merita grato, ut par eſt, recolimus animo. Quinam *Magdeburgi*, *Halberſtadij*, *Goslariæ*, *Hamburgi*, *VViſmariæ*, *Roſtochij*, in *Pomerania*, *Boruſſia*, *Livonia*, &c. poſt *Lutheri reformationem primi* fuerint *Veritatis Evangelicæ Præcones*, prolixè refert D. David Chytræus in Saxonia per totum ferè librum X. *Theologos Haſſiacos*, qui vel *Colloquiis & Conventibus* interfuerunt, vel *Synodalibus Receſſibus* ſubſcripſerunt, enumerat D. Henricus Leuchterus, Superintendens Darmbſtattinus in *Antiqua Heſſorum Fide Chriſtiana & Vera*, edit. Darmbſt. 1620. FORMULÆ CONCORDIÆ, juſſu & auſpiciis Sereniſſimi Electoris Saxoniæ AUGUSTI glor. mem. à ſex Theologiæ Doctoribus, *Iacobo Andreæ*, *Martino Chemnitio*, *Andrea Muſculo*, *Davide Chytræo*, *Nicolao Selneccero*, *Chriſtophoro Cornero*, (quos omnes, excepto unico *Muſculo*, in Vitis Germanorum Theologorum exhibet Melchior Adami) adornatæ, præter *tres S. R. I. Electores*, *Principes XXI. Comites XXII. Barones IV. Civitates Liberas XXXV.* ſubſcripſerunt *Miniſtri Eccleſiæ octies mille*, inter quos ſanè magna nomina & lumina. *Id quod*, verba ſunt Vincent. Placcij de Scriptis & Scriptoribus Anonymis, &c. p. m. 11. *acerbè doluit Pontificiis & Sectariis aliis, anteà calumniantibus effrani licentiâ, & plus quàm temeraria audacia, non eſſe tres Auguſtanæ Confeſsionis Miniſtros inter ſe conſentientes.* D. Leonhardus Hutterus, Univerſitatis Albanæ quondam Profeſſor

Primarius, in *Concordia Concorde* edit. Witteberg. anno MDCXIV. Cap. I. p. m. 9. inter purioris doctrinæ aſſertores ac vindices tum plurimos, tum conſtantiſſimos refert Norimbergæ *VVenceslaum Lincum* (Eremitarum olim S. Auguſtini Vicarium Generalem, ad quem *Lutheri* literæ die Felicis & 7. Martij anno XXI. ſcriptæ, Tomo I. Epiſtolarum Luth. à Johanne Aurifabro, Aulæ Vinarienſis Concionatore collecto, p.m. 299. 300. & 312. leguntur) *Dominicum Schleupnerum* (Canonicum & Cuſtodem quondam Uratislavienſem, de quo Nepos ejus Chriſtophorus Schleupnerus SS. Th. D. Generalis Superintendens & Concionator Aulicus Byruthinus in Conc. Jubil. anno 1617. habitæ, & anno 1618. Lipſ. editæ Epiſtola Dedicat. ad Nobiliſſimum Senatum Norimberg. narrat, *quod in locum defuncti Ioh. Hupſenavveri Paſtoris ad D. Sebald. anno 1522. fuerit vocatus*) *Thomam Venatorium, Hieronymum Peſoldum, M. Beslerum, Kauffmannum*, &c. Cap. V. p. m. 55. inter alios, *qui Articulis in Conventu Torgenſi propoſitis* ſubſcripſerunt, meminit *D. Petri Prætorij, D. Adami Rotheri, D. Georgij Langevoith*. Cap. VII. p. m. 63. refert, quod dimiſſis & exautoratis quatuor Theologis *in religione ſuſpectis*, *VVitteberga, D. Pezelij locus aſſignatus fuerit M. Martino Oberndorffero, Paſtori Eccleſiæ Mitvveidenſis*. Cap. XI. ubi agit de *Conventu Theologorum Torgenſi, anno 1576. habito : & prima delineatione libri Chriſtianæ Concordiæ* p. m. 91. mentio fit (ſaltem illos adduco, quorum nomina in tua Sciagraphia non reperio) *Andreæ Muſculi Doctoris in Eccleſia & Academia Francofurdiana, Maximiliani Mörlini D. Paſtoris Coburgenſis, M. Iohannis* Schützii *Paſtoris Annæmontani*. Cap. XII. in *Cenſura Theologorum* Brunſuicenſium *ex Synodo Riddageshuſana ad Iulium Brunſuicenſem Principem miſſa* p. m. 113. *Gerardi Abbatis in Regali Lutter. Andreæ Abbatis in Ameluxborn, Iohannis Abbatis Riddageshuſani. Caſpari Abbatis in Marienthal, Henrici VVirſchij Abbatis Monaſterij Ringelhemenſis, ac Paſtoris Eccleſiæ Dei ibidem, Bartoli Richij Decani S. Blaſij in urbe Brunſuicenſi, Eſaiæ Krugeri, Paſtoris & Generalis Superintendentis Alveldenſis, &c.* Cap. XXI. p. m. 175. Inter Theologos, qui Schmalcaldiæ debuerant ann. 1578. 7. Junij convenire, recenſentur inter Theologos Electoris Palatini *D. VVilhelmus Zimmermannus, M. Stoltzius*: Brandenburgici, *M. Andreas Celichius* : Adolphi Ducis Holſatiæ, *D. Paulus ab Eizen* : Wolfgangi Ducis Brunſuicenſ. & Lüneburg. *D. Ioh. Schelhamer* : Wilhelmi Ducis Brunſ. & Lüneb. *Hector Fridericus* : Ducis Grubenhagenſis, *M. Schelhamer* : Philippi Ludovici & Johannis, Principum Palatinorum, *M. Abrahamus Manne* : Marchionis Georgij Friderici, *M. Adamus Franciſci* & *D. Io. Streitbergerus* : Marchionis Badenſis, *Rupertus Dürrius* : Principis Hennebergici, *M. Apelius Superintendens Meiningenſis*, &c. Eodem Capite p. m. 189. qui Receſſui Schmalcaldenſi 18. Octobr. 1578. ſubſcripſerunt nomine Electoris Palatini Ludovici, *Martinus Schalling Superintendens, M. Ioh. Zeidler, Paulus Schechſius*, qui fuit Concionator Aulicus. Cap. XXVII. p. m. 99. fit mentio *D. Iacobi Schopperi*, in Academia Heidelbergenſi & poſteà Altdor-

ſina

ſina Theologiæ Profeſſoris, D. *Petri Patientis* Eccleſiarum in Palatinatu Superintendentis Generalis. Cap. XXXII. p. m. 246. D. *Andreæ Pouchenij, Superintendentis Lubecenſis*. Cap. XXXIII. *Vlrici Marbachij*, magni illius Johannis Marbachij Theologi Argentinenſis Filij, *qui noſtra doctrinæ aſſertor & defenſor acerrimus fuit VVormatiæ*. Cap. XXXVI. in Relatione Theologorum Würtembergicorum p. m. 245. *Iohannis Magiri, Præpoſiti Stuttgardienſis, M. VVilhelmi Holderi, Ioh. Schopffij*. Cap. XLV. p. m. 276. *M. Stephani Prætorij, Paſtoris Soltquellenſis*, ad quem de Apologiâ libri Concordiæ ſcripſerunt Epiſtolam Theologi Megapolitani & Roſtochienſes dat. Roſtoch. 20. Maij anno MDLXXXIV. Cap. LII. p. m. 355. *D. Laurentij Drabitij Superintendentis Chemnicenſis, Davidis Meyſij Pro-Electoris Saxoniæ Concionatoris Aulici*. D. Conradus Schlüſſelburgius, Eccleſiæ Stralſundenſis in Pomerania Superintendens, ad D. Nicolai Paſtor, ut & Gymnaſij Profeſſor longè meritiſſimus, Librum II. Catalogi Hæreticorum dedicavit *Fabiano Kloeck, verbi Dei in Eccleſia Straleſundenſi Præconi Fideli & ſacroſancti Miniſterij ibidem Seniori*. Lib. IV. p. m. 36. ſcribit, quod *Iohanni Islebio Agricolæ Autori ſectæ Antinomorum* teſtiterint *D. Gaſpar Guttelius, Islebienſis Eccleſiæ Superintendens, M. Michael Cœlius, in Vallibus Manniæ Decanus*. Lib. V. Epiſt. Dedicat. *ad Præpoſitum, Decanum, Seniorem, & reliquos Eccleſiæ Cathedralis Raceburgenſis Canonicos*, facit mentionem *Georgij Vsleri, Eccleſiæ Raceburg. Paſtoris & Senioris emeriti, Ioſuæ Huckſterni Summi Templi Eccleſiaſtæ*. Libr. VI. p. m. 45. inter Refutatores dogmatum *And. Oſian.* in Boruſſia recenſentur *D. Petrus Hegemon, D. Georgius Venetus, poſtea Pomezanienſis Epiſcopus, M. Michael Stifelius, M. Franciſcus Marshauſen, M. Franciſcus Burchardi, Valentinus Bugatus, Matthias Bynvvald, Nicolaus Soler, & cæteri per totam Pruſſiam Paſtores, quorum 800. erant, paucis exceptis*: In Academia Regiomontana *M. Matthias Lautervvald, M. Bartholomæus VVagnerus, M. Ioh. Hoppius*. p. m. 248. 249. fit mentio M. *Hieronymi Beſoldi Paſtoris Norimbergenſis*. Lib. VII. ubi agit de *Maioriſtis*, p. m. 192. reperitur Epiſtola M. *Benedicti Morgenſtern* ad D. *VVigandum* p. m. 608. ſeqq. Reſponſio *Concionatorum Eccleſiæ Hamburgenſis* ad Epiſtolam *Illyrici & Nicolai Galli*: Nomina *Paſtorum*, qui ſubſcripſerunt p. m. 627. 628. Reſponſio *Paſtorum Eccleſiæ Lubecenſis* p. m. 628. ſeqq. Nomina *Paſtorum* p. m. 634. 635. Reſponſio *Miniſtrorum Eccleſiæ Lüneburgenſis* p. m. 636. ſeqq. Nomina *Paſtorum* p. m. 653. 654. Epiſtola *Miniſtrorum Eccleſiæ Chriſti, quæ eſt Magdeburgi*, p. m. 654. ſeqq. Nomina *Paſtorum* p. m. 658. Libr. X. Epiſt. dedicat. ad *Conſules & Senatores Civitatis Stadenſis*, mentionem facit *Petri Bartholdi, Eccleſiæ Raceburgenſis primùm Superintendentis Specialis, Eccleſiæ poſteà Stadenſis Antiſtitis*. p. m. 59. ſeqq. exhibet de *Stenckfeldiaſtis* judicium *Eccleſiarum Brunſuicenſis* & *Hannoveranæ* ad D. *Ioh. VVigandum*: Nomina *Paſtorum Brunſuicenſium* p. m. 64. *Hannoveranorum* p. m. 65. Lib. XII. Epiſt. Dedicat. ad *Illuſtriſſimos Principes Fridericum & VVilhelmum, in Livoniâ, Curlandiæ & Semigalliæ Duces*, &c. meminit *verbi cœleſtis*

Miniſtrorum, *& Fideliſſimorum Eccleſiæ Ieſu Chriſti Doctorum Dn. Policarij & Dn. M. Pauli Ottenborum Theologi, Poetæ & Hiſtorici celeberrimi.* Lib. XIII. p. m. 81. *Caſpari Aquilæ Salveldenſis in Thuringiâ Eccleſiæ Miniſtri*, de quo Henricus Pantaleon Proſopographiæ Part. III. p. m. 319. qui unà cum aliis *Decreto Interimiſtico* contradixit; p. m. 313. *Matthæi Iuditis*; p. m. 734. 735. *Miniſtrorum Eccleſiæ Brunſuicenſis*; p. m. 736. *Bartholom. VVolffharti, Eccleſiæ quæ eſt Hildeſiæ Superintendentis*; p. m. 740. *Theologorum Mansfeldicorum*; p. m. 743. *diverſorum aliorum Theologorum*; p. m. 782. *Theologorum VViſmarienſium.* In X Decadibus Conſiliorum Theologicorum D. *Felicis Bidembachii Sereniſſimi Ducis VVürtembergici Concionatoris Aulici, Abbatis Adelbergenſis & Maulbrunnenſis, Superintendentis Generalis*, in ſuffragium vocantur *D. Eberhardus Bidembachius, D. Matthaus Aulberus, D. VVilhelmus Bidembachius F. P. Ioh. Hugo, D. Conradus VVolfgangus Platzius* (de quo Melchior Adami in Vitis Germanorum Theologorum p. m. 517. 518.) *Iodocus Hockerus, M. Sigiſmundus Cephalus, M. Ioh. Mauricius Bidembachius, Felicis Frater, Ioh. Gallus D. & Profeſſor Erfurtenſis, Eraſmus Groningerus, Andreas Cellarius, M. Iſrael VVielandus, Salomon Codomannus, primò Ambergenſium, poſteà Kittingenſium Paſtor & Superintendens, M. Anaſtaſius Hunnius D. Ægidii Frater Germanus, Tilemannus Breuleus Paſtor Spangenbergenſis, Laurentius Codomannus Paſtor & Superintendens Germersheimenſis, Andreas Celichius Superintendens Megapolitanus, Hermannus Emſinchoverus Eccleſiæ Tremonienſis ad D. Nicolai Paſtor, Ioh. Frederus Theologus & Superintendens VViſmarienſis, Georgius VValtherus Halæ Saxonum Paſtor, M. Ioh. Gigas, Caſparus Radecker SS. Th. Licentiatus & Paſtor Leorinus in Sileſiâ, M. Georgius Codonius Superintendens Lavinganus, M. Michael Cælius Decanus Mansfeldenſis &c.* D. Lucas Oſiander Epitom. Hiſtor. Eccleſ. Cent XVI. p. m. 285. ſeqq. recenſet *Theologos*, qui *Articulis Smalkaldicis* ſubſcripſerunt; Qui *Auguſtanæ Confeſſioni & Apologiæ* p. m. 304. 305. *Ioh. Aurifabri Theol. Doctoris, Eccleſiæ Vratislavienſis Paſtoris* mentionem facit p. m. 812. De *Matthiâ Flacio Illyrico* (Viro extra omnem dubitationis aleam, ſi unicus nævus abfuiſſet, eruditiſſimo, & ob ſcripta quæ edidit, *Auream* nempe *Clavem Scripturæ, Centurias Magdeburgenſes, Catalogum Teſtium Veritatis* &c. præclariſſimè de Republ. literariâ merito, quem Heinricus Pantaleon, Part. III. Proſopographiæ p. m. 438 439. *inter Viros Illuſtres Germaniæ*, Melchior Adami *in Vitis Germanorũ Theologorum* p. m. 472. M. Andreas Beierus *inter SS. Theologiæ Profeſſores*, in Syllabo Rectorum & Profeſſorum Jenæ p. m. 453. recenſent) p. m. 852. 853. fatetur, *quod tempore INTERIMISTICO Eccleſiæ Chriſti bonam & fidelem operam, contra Papatum pugnando, navaverit.* De D. Joanne *Sulcero* (cujus vitam delineant Heinricus Pantaleon Proſographiæ Part. III. p. m. 448. 449. Melchior Adami in Vitis Germanorum Theologorum p. m. 586. ſeqq.) ſcribit ad Ann. Chriſt. 1585. p. m. 971. *Mortuus eſt etiam Vir optimus, & in doctrinâ ſinceriſſimus, Dominus Doctor Simon Sulcerus, olim VVittembergæ Lutheri Diſcipulus, His doctrinam ſanam à D. Luthero ſuſceptam*

ptam, fideliter & conſtanter retinuit: eamq; mirâ prudentiâ & dexteritate plantavit in urbe Baſileâ, in quâ etiam piè in Domino obdormivit &c. Inter Theologos, qui Colloquio Ratisbonenſi anno 1601. habito interfuerunt, & Theſibus Subſcripſerunt, p. m. 1153. 1154, reperiuntur è Palatinis *Abrahamus Manne Superintendens Lavinganus, Tobias Bruno Auguſtanus Th. D. Concionator Aulicus, Conſiliarius & Superintendens, M. Magnus Agricola, D. Chriſtophorus Morold, David Schram, Heinricus Tettelbach*; è Theologis Saxonicis *M. Ioannes Fladungus, Vinarienſis*; è Brandenburgicis *M. Abdias VVickner, M. Laurentius Lelius, Onoldini,* Michael Fendius in Collegio Lavingano edit. Laving. MDXXCVII. Epigrammatibus celebrat *M. Ioh. Kleinau Superintendentem Neuburgicum, conſiliarium Palatinum, Laurentium Drechslerum, Concionatorem Aulicum, Huldaricum Roth, Præpoſitum.* Andreas Sennertus Sanct. & OrientaliumLL. Profeſſor, in Athenis, itemque Inſcriptionibus Wittebergenſibus edit. Witteberg. CIƆ IƆCLVI. p. m. 66. 67. Inter Rectores Univerſitatis habet *Ioh. Bugenhagium Iuniorem SS. Th. D. & Profeſſorem.* p. m 68. *M. Martinum Heinricum SS. Th. Profeſ.* p. m. 69. *Andr. Iodocum Lubekynenſem Petrimontium SS. Th. D. & Profeſſ.* p. m. 141. reperitur Epitaphium *Ioh. Schûtzii SS. Th. D, Profeſſoris & Academiæ cancellarii &c.* M. Adrianus Bejerus in Syllabo Rectorum & Profeſſorum Jenæ p. m. 75. mentionem facit *Bartholomæi Roſini Superintendentis Vinarienſis, Alexii Breſnicii Superint. Altenburgenſis.* p. 129. *Antonii Probi Theol. D. & Superintend. Generalis Vinariæ*, qui cum quidã inter Adverſarios Formulæ Concordiæ errores adſcriberet hoc diſticho: *Hic habet ER Latium liber: hic habet ERq; pelasgum, ER habet Hebræum, prætereaq; nihil;* In Concione Doctorali A. C. 1590. Dominica Cantate Jenæ habitâ hoc reſpondit diſticho: *Non habet errores: invictum dogma Lutheri Aſſerit.: Errores arguit iſte liber.* p. m. 149. In Viſitatione Electorali Saxonica Ann. 1592. 21. Febr. inſtituta inter Viſitatores recenſetur *M. Ioſua Lonerus, poſteà Doctor.* Inter Profeſſores Jenenſes reperiuntur p. m. 446. *M. Georgius Rorarius,* p. m. 448. *M. Iohannes Roſa*; p m. 477. *D. Balthaſar Sartorius.*; p. m. 475. *M. Hieronymus Opitius*; p. m. 476. 477. *M. Chriſtophorus Hammerus* p. m. 480. *Samuel Fiſcherus*, ubi quoque p. m. 481. fit mentio ejus Patrui *M. Chriſtophori Fiſcheri, eruditi Piſcatoris: qui Ann. Chriſt.* 1544. *Iuterboci Eccleſiaſtes, & Ann. Chriſt.* 1559, *Schmalcadiæ Superintendens fuit: ad quem literæ D. Martini Lutheri: D. Pauli Eberi: M. Philippi Melanthonis: D. Georgii Majoris in Leucoreâ P. P. advolarunt, dubiis de rebus exarata &c.* p. m. 467. Filii *Tilemanni Heshuſii* recenſentur *Gotefridus* & *Henricus Heshuſii, Philoſophiæ Magiſtri, & hic Eccleſiæ Hildeſienſis Superintendens.* p. m. 479. *D. Timotheo Kirchnero filius fuit M. Philippus Kirchnerus, Eccleſiaſtes Vinarienſis, poſteà Buttelſtadianus, Gener M. Iohannes Fladungus, ordine Profeſſor in Univerſitate Heidelbergenſi, & Superintendens Salveldiæ & Orlamundæ ad Salam.* Melchior Adami in Vitis Germanorum Theologorum p. m. 14. deſcribit *Simonem Heinſium, qui reformati apud VVittembergenſes Evangelii primus præco perhibetur.* p. m. 177. fit men-

xio *Ioannis Langi* (ad quem varias ſcripſit Epiſtolas Lutherus, quæ reperiuntur citato Tom. I.) *Nicolai Hausmanni* (quem idem Lutherus literis undecimo Calend. Aprilis anno MDXXI. Witebergæ exaratis *ſervum Chriſti fidelem in niveo monte, ſuum in Domino Chariſſimum* vocat) p. m. 34. *D. Eraſmi Læti Cimbri, D. Ioannis Cogleri Quedlinburgenſis*, p. m. 443. *D. Eberhardi Bidembachii, Abbatis Bebenhuſani*; p. m. 456. *Martini Gerlicii, qui primus fuit Eccleſiæ Brunſuicenſis Antiſtes, Henrici VVinckelii*, Nicolai Medleri; p. m. 516. *Sebaſtiani Ligarii, Moguntini, olim ejuſdem Ordinis & Monaſterii cum Luthero Fratris, poſteà verò Reipublicæ Francofurdianæ Eccleſiaſtis*; p. m. 569. *VVolfgangi VViſſenburgis*, cui Baſileæ in docendi munere ſucceſſit *D. Simon Sulcerus*; p. m. 582. *Balthaſari Keufelii, qui Tubingæ docuit, D. Iſemanni, Præſulis Anhuſani*; p. m. 590. *M. Chriſtophori Sthelini Collegæ D. Theodorici Snepfii*; p. m. 607. *Michaelis Cælii D. Ioh. VVigandi in Eccleſiâ Mansfeldenſi Collega, D. Georgii Æmilii Superintendentis Stolbergenſis*; p. m. 611. Inter *Viros & Theologos Claros*, quibuscum conjunctiſſimè vixit *D. VVigandus*, recenſentur *Georgius Richius, Andreas Martini, Henricus Strevius, Caſparus Leunculus, Andreas Schoppius, Conradus Beckerus Theologus Guſtrovienſis & Hildesheimenſis, Vir zelo ſingulari præditus*, de quo D. Andreas Keslerus Ducatus Coburgici Superintendens Generalis in Theologiâ Caſuum Conſcientiæ à D. Joh. Chriſtophoro Seldio Paſtore & Superintendente Rômhildenſi Witteberg. 1658. edita Cap. XXXIX. p. m. 192. Meminit idem Melchior Adami p. m. 614. *præſtantiſſimi Theologi Ioannis VVedmanni, Concionatoris Aulæ Ducis Boruſſiæ*; p. m. 646. *D. Philippi Heerbrandi, Iacobi Fratris, Paſtoris Haganoenſis*; p. m. 687. *D. Ioannis Kittelii*; p. m. 695. *D. Io. Frederi, Theologiæ Profeſſoris, & Superintendentis Circuli Roſtochienſis*, qui fuit gener *D. Davidis Chytræi*; p. m. 735. *D. Iacobi Rungii, SS. Th. in Academiâ Gryphiswaldenſi Profeſſoris*: p. m. 803. *Nicolai Cancerini Superintendentis Reichovillani.* M. Henningus Witten in Memoriæ Theologorum noſtri Seculi Clariſſimorum Renovatæ Decadibus p. m. 73. mentionem facit *Hieronymi Mulmanni, Eccleſiaſtis Pegavienſis, viri pietatis zelo & doctrinâ præſtantis*; p. m. 100. *VVolfgangi Helvici, Superintendentis Oſnabrugenſis*; p. m. 124. *Hieronymi Heilbrunneri Vahinganæ Diœceſeos Superintendentis Specialis meritiſſimi*; p. m. 128. *D. Henrici VVeickersreuteri, Abbatis Hirſaugienſis*; *Georgii Heilbrunneri, Paſtoris & Superintendentis Sultzbacenſis: Ludovici Heilbrunneri, primùm Neoburgici, poſteà Paſtoris Zellenſis in Ducatu VVürtembergico*: p. m. 143. *Andreæ Schlüſſelburgis, Superintendentis Neobrandenburgici, M. Henrici Bothenii Concionatoris Stralſundenſis, M. Andreæ Corvini, Superintendentis Viſmarienſis*: p. m. 172. *Iacobi Arndii, qui à Celeberrimis VVitebergæ Doctoribus, Pomerano, Majore, Philippo, atq; Hetzero in Eccleſiæ miniſtrum legitimè ordinatus, & Illuſtriſſimo quondam Duci Anhaltino, VVolfgango, à concionibus aulicis Conſiliiſq; fuit*; p. m. 216. *M. Balthaſaris Meiſneri, Eccleſiaſtis Dreſdenſis per annos quadraginta optimè de plurimis meriti*: p. m. 286. *M. Davidis Butneri, Viri Theologica eruditione conſpicui*; p. m. 313. *M. Petri Harringii Superintendentis Cothenſis*;

p. m.

p. m. 364. *Henrici Schinckij Eccleſiaſtæ Guſtrovienſis, ejusq; inſtructiſſima Bibliotheca, D. Valentini Schachtij Profeſſoris Roſtochienſis, M. Antonij Boccatij Eccleſiarum in diœceſi Parchimenſi Superintendentis*; p.m. 374. inter *primos à Luthero repurgatæ Theologiæ Profeſſores* in Academia Lipſienſi numerantur *L. Io. Steubelius, D. Io. Sauerus, D. Iacobus Schenck*; p. m. 375. habet, *quod anno quadrageſimo tertio creati ſint Doctores noſtrates numeri quinque, VVolfgangus Schurmeiſter, Caſpar Bornerus, Bernhardus Zigler, Io Pfeffinger, & Andreas Samuel.* p. m. 416. meminit M. *Io. Iacobi Crameri, Gedanenſis Eccleſiæ luminis ac ornamenti non vulgaris*; p.m. 429. M. *Davidis VVolderi, Eccleſiaſtis Hamburgenſis*, M. *Theodorici Daſſovij Myſtæ Buxtehudenſis*, M. *Feliciani Clari, Superintendentis Hertzbergenſis in Miſnia*; p. m. 488. D. *Friderici Rungij, SS. Theol. in Academ. Gryphiſvv. Profeſſoris, & Eccleſiæ Occid. Pomer. Superintendentis Generalis*; p. m. 504. D. *Georgij Fabri, Orientalis Regiminis Stettinenſis Superintendentis*; p. m. 551. D. *Alberti Eckardi*, M. *Zachariæ Vietoris, Superintendentis Laubachenſis*; p. m. 587. M. *Chriſtophori Iordani Bricenſis in Electoratu Brandenburgico Superintendentis*; p. m. 598. M. *Georgij Stampelij Superintendentis Lubecenſis*, M. *Ioh. Stolterfothi Eccleſiæ ibidem Primariæ Paſtoris & Reverendi Miniſterij Senioris*; p. m. 617. *M. Martini Erythropili Aulæ Butibacenſis Concionatoris eloquentiſſimi, & vicinarum Eccleſiarum Inſpectoris fideliſſimi*; p. m. 644. multi recenſentur *præclari nominis Theologi*, quibuſcum familiaritatem & amicitiam iniit *Io. Saubertus* celebratiſſimus Norimbergenſium Antiſtes. p. m. 665. fit mentio *Iacobi Herrenſchmidij Nordlingenſium Superintendentis*: p. m. 689. *D. Andreæ Pouchenij SS. Theologiæ D. & in Academia Regiomontana Profeſſoris primarij, Ædis Cathedralis Paſtoris, & Conſiſtorij Sambienſis Aſſeſſoris*; p. m. 719 *Friderici Kornmanni Halberſtad. Eccleſ. Paſtoris Primarii*; p. m. 720. *M. Georgii Forſteri Keinbergenſis Eccleſiæ Præpoſiti, & Vicinarum Superintendentis*; p. m. 731. *Friderici Petri Eccleſiæ Brunſuicenſis Coadjutoris &c.* D. Melchior Sebizius, in Academiâ Argentorat. D. & Profeſſor Medicinæ Ordinarius, Comes Palatinus Cæſareus, in *Appendice Chronologica Concionibus & Orationibus Secularibus anno* MDCXXXVIII. *Iubilæo Scholar. Argent. habitis annexa*, inter *Profeſſores SS. Theologiæ* recenſet *Iacobum Gloccerũ, Melchiorem Speccerum, Nicolaum Florum, Eliam Kyberum, D. Eraſmum Marbachium Io. Filium, Philippi Fratrem, Eliam Schadæum, Io. Fabrum Seniorem, Io. Fabrum Iuniorem, Bartholomæum Naſſerum, Ioannem Lippium*, qui *in Profeſſione Theologica D. Philippo Marbachio ſuccedens, Doctoratus dignitate Gieſſa Haſſorum ann.* 1612. *petita & impetrata, rediturus in patriam, & Spartam, quam nactus erat Ornaturus in medio itineris curſu peſte corripitur, & hic* SPIRÆ *lumina clauſit, anno eodem d.* 24. *Septembris*, cui die ſequenti Chriſtiano ritu, Magnorum Virorum Comitatu, ſepulto concionem funebrem habuit *M. Iacobus Bieczanius, Eccleſiæ ad D. Auguſt. Paſtor*, quæ anno dicto Argent. apud Johannem Carolum edita eſt. In illorum quoque Catalogo reperitur *Tobias Speccerus, Ioh. Georgius Notter, Ioh. Pappus Iunior, &c.* Papatum Acatholicum D. Jacobi Heilbrunneri edi-

tum Laving. MDCXIV. ſua ſubſcriptione approbarunt è Theologis Dreſdenſibus *M. Conradus Blatt*, Lipſienſibus *M. Petrus Ieniſius*, Würtembergicis *M. Daniel Schrötlin*. In Neceſſaria & Inevitabili Apologiâ Theologorum Saxonicorum edit. Lipſiæ 1625. Præfat. ad Lectorem in Catalogo Theologorum, à quibus *deciſio reviſa, ponderata, & unanimiter approbata*, inter Coburgenſes repeiiuntur *D. Nicolaus Hugo, Eccleſiaſtes Aulicus, Georgius Pfruſcherus, M. Philippus Eſchenbach, Philippus Gualtherus Seidenbecher, Io. VVagner*. D. Abrahamus Calovius, quem Theologorum ὀρθοδοξότατον meritò vocas, Tom. I. Generali Syſtematis Locorum Theologicorum edit. Witteberg. MDCLV. in *Conſideratione nova Theologiæ*, &c. inter alios Orthodoxos Theologos refert p. m. 1176. D, *Wilbelmum Witzendorffium, Superintendentem primùm Bardovicenſem in Ducatu Lunaburgico, poſt Archipresbyterum Raſtenburgenſem in Ducali Pruſſia, Statium Buſcherum Paſtorem Hannoveranum*: p. m. 1191. *M. Georgium Lautenſchläger, Comitatus Mansfeldenſis Decanum Generalem, Nicolaum Wiſmarum, Superintendentem Oldenburgenſem, Iacobum Durfeldium. Oſnabrugenſem Gymnaſiarcham, ſcriptis Theologicis celebrem*. Scripſit idem Magnificus Dn. D. Calovius *Leſſum, in obitum, toti Eccleſiæ Evangelicæ lugubrem, Senioris, & maximi Theologorum, Dn. Petri Haberkornij, Doctoris de Eccleſia, tum Haſſiaca, tum univerſa, præclariſſime meriti, Academiæ Gieſſenſis Luminis, & Columinis inſignis, anno Dominico* CIↃIↃCLXXVI. *menſe Iunio, delineata Formulæ Concordiæ Sacro, & ſolenniter à Sereniſſ. Electore Saxoniæ Io. Georgio* II. *Torgæ* VII. *Iunij celebrato*, ubi Syllabum exhibet Theologorum in Domino defunctorum, ſcriptis ac meritis celebrium, inter quos *Ioachimus Krakevvitz, Bartholdi Filius. Theologus Soranus, Balthaſar Ravius, Theol. Gryphsvvald. Superintendens Stralſundenſis, Iacobus Fabricius, Concionator Regis* GUSTAVI ADOLPHI *glorioſ. memor. Theol. & Superintendens Generalis Stettinenſis, Abrahamus Battus, Bartholomai Filius, Theol. Gryphſvvald. & Superintendens Generalis, Io Corvinus Theologus* Dantiſcanus, *Gerhardus Grave, & Io. Balthaſar Schuppius, Theol. Hamburgenſes, Balthaſ. Scheidius, Prof Argentoratenſ. Io Beringius, Ioachimi Filius, Theol. & Superint. Gryphsvvald. Elias Taddelius, Roſtoch. & Amſtelodam. Theologus, Chriſtianus Colbius, Archi-Presbyter Bartenſtein. in Boruſſia.* Dn. D. Sebaſtianus Schmidt in *Memoria Annua Obitus Luctuoſiſſimi Dn. D. Io. Schmidt*, &c. *d. 27. Auguſti, anno* MDCLIIX. *in Chriſto Ieſu placidè defuncti, in ſolenni Panegyri celebrata* 27. *Aug. anno* MDCLIX. inter Theologos haud infimi commatis, quos in peregrinatione ſua compellavit B. J. Schmidt, recenſet *Henricum Iulium Strubium, Iohannem Matthai filium, Iudicem, Bernhardum Albertum*: inter amicos & æquales *Bernhardum Derſchovium*, Io. Dolmannum, *&c.* *Inter Theologos Ducatus VVürtembergici* haud ſilentii ſipario involvendi *Conradus Saum, Concionator in Brackenheim*, quem Lutherus literis Wittembergæ Calendis Octobris ann. MDXX. ſcriptis, *amorem verbi ei gratulatus, ad fortitudinem & conſtantiam adhortatur: ne procellis exortis, ſtatione ſua cedat,*

cedat, Tom. I. Epiſt. Luth p. m. 285. *Caſparus Lyſerus* Polycarpi Pater, qui, ut ſcribit D. Ioh. Valentinus Andreæ Bebenhus. 26. Febr. ann. 1651. in Selenianis Auguſtalibus Part. I. p. m. 118 ad Illuſtriſſimã & Celſiſſimam Principem Brunſuicenſem & Lunæburg. SIBYLLAM URSULAM, *Ducis Chriſtophori VVirtembergici, quo Sanctior vix ullus & in Eccleſiam Officioſior Principum ætatis ſuæ ſuit, bonitate & judicio uſus, conjunctutum D. Iacobo Andreæ ſtudiis & aſſiduis precibus, inſtitit, ut quò ſponte ferebatur religioſiſſimus Princeps amplius etiam propelleret, & diſciplinam animo Ducis probatam, conceptamq; in gregis totius Chriſtiani uſum, religionisq; defæcatæ majorem lucem produceret. D. Antonius Varenbülerus* Nicolai IC. *& Profeſſoris Tubingenſis* (de quo Melchior Adami in Vitis Germanorum ICtorum & Politicorum p. m. 395. ſeqq.) *Filius, Abbas Hirſaugienſis*, qui *Orationem Funebrem de Virtutibus Viri incomparabilis D. Iacobi Andreæ &c.* in Cœnobio Hirſaugienſi habuit, editam Tubingæ MDLXXXX. Inprimis D. *Lucas Oſiander, SS. Theolog. D. & Profeſſor, Academiæ Tubingenſis Cancellarius, & Eccleſiæ Præpoſitus*, quem video à multis cum *altero* D. *Lucâ*, Aulæ Würtembergicæ, poſteà Eslingenſium Paſtore vel confundi, vel planè omitti. *Quinq;* enim (ut cæteros haud obſcuri nominis taceam) *ex Oſiandrinâ familiâ*, quantum mihi quidem conſtat, fuerunt *Theologiæ Doctores*, *Andreas Senior*, Norimbergenſium & Boruſſorum Theologus, de quo Melchior Adami in Vitis Germanorum Theologorum p. m. 226. ſeqq. *Lucas Andreæ Filius*, ut dixi, Aulæ Würtembergicæ & Eslingenſium Concionator, qui obiit anno 1604. d. 17. Septemb. *Andreas Iunior, Lucæ Filius*, primùm à Concionibus & Conſiliis Principi Würtembergico *LUDOVICO*, Abbas poſt Adelbergenſis, Superintendens Generalis, tandem Eccleſiæ Tubingenſis Præpoſitus & Academiæ Cancellarius, de quo idem Melchior Adami l. c. p. m. 860. qui non vulgari elogio apud Dn. Kónigium in Bibl. p. m. 593. dicitur fuiſſe *robuſtus Elenchticus, perſpicuus exegeticus, & artificioſus Orthotomus: Lucas Iunior, Andreæ* in dignitate Eccleſiaſticâ & Academicâ poſt D. Matthiam Hafenrefferum *Succeſſor*, quem Thomas Stegerus Eccleſiaſtes Lipſienſis Orat. Parentali in exceſſum Summi Theologi I. G. Dorſchei dicta in Acad. Lipſ. IV. Januar. MDCLXI. cum *D. Theodoro Thummio inter Academiæ Tubingenſis præclariſſima lumina* recenſet. Cujus Scripta ſatis nota, v. g. *Informatio Theologica Fidelis &c.* 1620. *De Corruptelis Vaticiniorum*, 1621. *Impietas VVigeliana*, 1622. Tubingæ ed. &c. Et nunc in eodem *Parnaſſo Eberhardino* florens, celeberrimi nominis Theologus *Ioh. Adamus Oſiander*, Fautor & olim Hoſpes noſter honoratiſſimus, qui Epiſtol. Dedicat. ad Sereniſſ. ac Celſiſſ. Principem WILHELMUM LUDOVICUM, Ducem VVurtembergiæ &c. Obſervationibus maximam partem Theologicis in libros tres de Jure belli & pacis Hugonis Grotii edit. Tubing. MDCLXXI. præmiſſa ſcribit, quod Illuſtriſsimi Heroes VVurtembergici *ultrà ſeculum à primis ferè reſtauratæ Religionis initiis in hunc uſq; diem vel in Aula Concionatores, vel in Academia Profeſſores Orthodoxiæ ſtabiliendæ ex*

OSIANDRINA FAMILIA *gratioſè legerint.* Quibus accenſendi D. *Io. Henricus Hiemerus*, SS. Th. Profeſſor & Illuſtris Stipendii Superintendens, cujus Oratio *de curſu vitæ & mortis Reverendi Patris*, D. *Martini Lutheri* 3. Novembr. 1617. habita legitur in Jubilæo Academiæ Tubingenſis p. m. 81. ſeqq. *Daniel Hizlerus*, D. *Melchioris Nicolai in Præpoſitura Stutgardiæ Anteceſſor*, Argentinæ 1635. cum Principe ſuo exul, defunctus, cujus JUSTA MDCLIX. *in Conſpectu Seren. Trigæ Fratrum ac Ducum VVirtembergiæ* Dn. EBERHARDI, Dn. FRIDERICI, *ac* Dn. *VDALRICI* expedivit nunquam à me ſine honore nominandus Dn. D. *Tobias VVagnerus*, jam ferè Seculi quadrante Studiorum meorum Fautor Singularis, Senex ætate Neſtorea digniſſimus, qui cùm unà cum VIRO, meritis in Rempublicam literariam ILLUSTRI Dn. ERICO MAURITIO Jc. & in Camera Imperiali nomine Circuli Suevici ADSESSORE, omnibus titulis majore, omnibus Elogiis Superiore, Patrono Summo, in Acidulis Deinacenſibus aliquot hebdomadum decurſu commorarer, Tubinga Non. Auguſti anno. 1677 ad me ſcripſit: *Intereà valete, & acidulas bibite, ut meo exemplo fiatis Senes octogenarii adhuc corpore & animo valentes.* Cujus nomen ut non niſi ſerò in Cedrinum piè defunctorum Theologorum Catalogum referatur, ex animo precor. Inter Theologos VVurtembergicos magnæ quoque fuit famæ & æſtimationis D. *Valentinus Andreæ*, *Iacobi* Præpoſiti & Cancellarii Tubing. *Nepos*, *Iohannis* Conſiliarii wirtemb. Abbatis Regiofontani filius, *Sereniſſimi* EBERHARDI *Ducis VVirtembergici Conſiliarius & Aulæ Eccleſiaſtes*, *Abbas Bebenhuſanus*, *Vir eruditione & Scriptis ſuis clariſſimus*, qui præter *Famam Andreanam refloreſcentem*, *Mythologiam*, *Menippum*, de quibus Dn. Kônigius in B. V. & N. p. m. 38. orbi erudito reliquit *Reipublicæ Chriſtianopolitanæ Deſcriptionem*, *Civem Chriſtianum*, *Turrim Babel*, *Memorialia*, *benevolentium Honori, Amori & Condolentiæ data*, edit. Argent. MDCXIX. *Rei Chriſtianæ & literariæ ſubſidia*, *Iobi Idumæi Fidei & Patientiæ Speculum Curſoria Lectione* 22. & 24. *Sept: A.* 1641. *expoſitum*, edit. Tubingæ 1642. *Iohannis Sauberti Theologi Vmbram delineatam anno* 1647. quam habet M. Henningus witten Decad. V. p. m. 629. ſeqq. *Theophilum*, editum Stutgard. 1649. *Seleniana Auguſtalia*, edit. Ulmæ MDCLIV. quæ quidem Scripta mea qualiſcunque Bibliotheca poſſidet. Haud incelebres quoque fuerunt *Ioh. Iacobus Heinlinus*, *Abbas Bebenhuſanus & Antiſtes Generalis*, quem anno 1655. Bebenhuſii & videre & ſalutare mihi contigit, *Vir profundæ eruditionis*, de quo Dn. Kônigius in Bibl. p. m. 376. M. *Bernhardus VVilderſin Superintendens primò Calvenſis, poſt Abbas Hirſaugienſis*, cujus *Antivvagnerekius* Tubingæ MDCLX. eſt editus. Magnorum meritorum Theologus in vicinia noſtra quoque fuit *Antonius Heilbrunnerus*, *Ioh. Frid. Pater*, *Marchionatus inferioris ac ſuperioris Badenſis & Hachbergenſis Ephorus & Generalis Superintendens*, *Conſiſtorii Eccleſiaſtici in Carolsburg Aſſeſſor Primarius*, *Eccleſiaſtes Aulicus Supremus*, cui anno 1655. 11. Jun. placidè denaro Concio-

nem

nem funebrem habuit *Io. Burchardus* ERAD *Superintendens & Paſtor Pforzheimenſis*. Panegyrin ſolenniter recitavit in *Synodo Röteland* ann. 1656. 19. Martii *Chriſtophorus Mauritii*, *Paſtor Crenzacenſis*, Orationibus Exequialibus condecorarunt 13. Octobr. & 10. Novemb. 1655. *M. Henricus Thomæ*, *Aulæ Sereniſsimæ Diaconus*, *Iohannes Spies in Illuſtri Gymnaſio Durlacenſi Oratoriæ Profeſſor*, edit. Argent. MDCLVI. Meritis quoque excelluit *Conradus VVeiningerus*, *Inferioris Marchionatus Superintendens Generalis*, *Ioh. VVeiningeri in Superiori Marchionatu itidem Antiſtitis Generalis Filius*, cujus in me affectum *non una* teſtatur *Epiſtola*, de quo plura ſuppeditare poteſt *Dn. Ioh. Philippus VVeiningerus, ad Portam Hercyniam Superintendens meritiſsimus*, cujus familiaritate & converſatione aliquoties in Acidulis Deinacenſibus uſus ſum, qui etiam, quæ ad *Vitæ Paternæ delineationem* pertinent, ſat ſcio, ut Vir eſt humaniſsimus, non denegabit. *Paſtores Vlmenſes* recenſet Dn. D. Conradus Dietericus Superintendens in Concionibus Jubil. & Euchariſt. p. m. 98. ſeqq. *Norimbergenſes ad* D. *Laurent.* Dn. Diethertus in *Laudatione Funebri Cornelii Marci* p. m. 175. 176. *ad* D. *Sebaldi* idem Diethertus in *Bibliotheca Norica animata ſive Memoria Ioh. Sauberti Meditatione parentali celebrata* ann. 1647. p. m. 107. Quid dicam de DANIÆ THEOLOGIS? In Vita Jo. Bugenhagii ſcribit Melchior Adami p. m. 315. *Anno triceſimo ſeptimo, à Chriſtiano* Daniæ Rege, Duce *Holſatiæ*, *evocatus eſt ad piam doctrinæ religionis, rituum Eccleſiaſticorum, & Scholarum Conſtitutionem: quo tempore Ordinationem Eccleſiaſticam libello Latino complexus eſt: quem optant multi ut pluribus eſſet notus: ut qualem Eccleſiarum & totius adminiſtrationis Eccleſiaſticæ formam Lutherus & Collegæ ipſius probarint, plures cognoſcerent. Tunc etiam Bugenhagius preces & ritus Sacros adhibuit: cùm Chriſtianus, præſente Alberto I. Boruſsiæ Duce, cum conjuge Dorothea, Chriſtiani Sorore, Hafniæ Metropoli Rex coronaretur, die ſuo natali duodecimo Auguſti. Eodem anno die decimo quarto poſt Regis coronationem, in locum ſeptem Epiſcoporum Regni Daniæ, ſeptem Superintendentes, qui Epiſcoporum deinceps officium obirent, & totius Ordinationis Eccleſiaſticæ cuſtodes & executores eſſent, à Bugenhagio præſente Rege & Regni Senatu, Hafniæ in Summo Templo ordinati ſunt. Præſcripſit etiam tunc Academiæ Hafnienſi lectiones, & Eccleſiarum, in utroq; Daniæ atq; Norvegiæ Regno, Miniſtros conſtituit: quorum fuerunt* VIGINTI QUATUOR MILLIA. Conferatur Joh. Cluverus Hiſtoriarum totius mundi Epitome p. m. 670. edit. Lugd. Batav. CIↃIↃCLVII. Petrus Johannis Reſenius, J. U. D. Profeſſor Regius Publicus, & Conſul Hafnienſis, in *Inſcriptionibus Hafnienſibus Latinis, Danicis & Germanicis*, edit. Hafn. CIↃIↃCLXVIII. p. m. 249. *Epiſcopos Selandiæ (quibus ex Regia Fundatione Profeſsio Theologica eſt adjuncta) à tempore reformationis recenſet*, qui fuère. 1. D. *Petrus Palladius Ripenſis* 1535. *obiit* 1560 2. D. *Ioh. Albertius obiit* 1569. 3. D. *Paulus Matthiæ Coagienſis obiit* 1590. 4. D. *Petrus Iani VVinſtrupius Hafnienſis obiit* 1614. 5. D. *Ioh. Pauli Reſenius Cimber obiit* 1638. 6. D. *Caſpar Er. Brochman Coagienſis obiit* 1652. 7. D. *Iohannes Iohannis Reſenius*

obiit

obiit 1653. 3. *April.* 8. *D. Laurent. Martini Scavenius Cimber obiit* 1655. 9. *D. Iohannes Iohannis Suaningius Hottersnenſis.* P. m. 7. reperitur Epitaphium *D. Io. Pauli Reſenii SS. Th. in Academia Regia Profeſſ Epiſcopi Sadland & Canonici Roeſchildenſis*: p. 10. *Iohannis Ioh. Reſenii SS. Th. D. & Sielandiæ Epiſcopi*; p. 11 & 42. *Laurentii Martini Scavenii, D. & P. Eccleſiarum Selandicarum Epiſcopi, Canonici Roſchildens.* p. 12. *Caſp. Bartholini Malmog. Theolog. Med. ac Philoſ. Doctoris, Regiæ Acad. Hafn. PP. & Roſchild. Cap. Canonici*; p. 13. & 50. *Ian. VVinſtrupii, SS. Th.* D. *Epiſ. Aarh. & Selandiæ, Acad. Reg. Profeſſ. & Canon. Roiskild.* p. 14. & 26. 27. *D. Caſpari Eraſmi Brochmandi Seland. Epiſ. Facultatis Theologicæ Senioris ac Decani*; p. 24. & 36. *D. Ioh Eraſm. Brochmand. SS Th. Prof. & Academiæ iterati Rectoris*; p. 25. *Nicolai Scandorphii Th. D. & Profeſſ.. Ordinarii*; p. 28. *Pauli Matthiæ Coagienſis, Theol. D. Epiſc. primùm Ripenſis An. VIII deinde* xx. *Roſchild.* vii, *olim in Acad. Reg. linguæ Lat. Græc. Hebr. Artiumq; Profeſſoris*; p. 30. *Iohannis Alberti, Scholæ Rectoris, Doctoris & Epiſcopi*; p. 32. *Petri Palladii Ripenſis, SS. Th. D. Prof. & Sadlandicarum Eccleſiarum Superintendentis*; p. 37. *M. Martini Pauli Grumii Concionatoris S. R. in Arce Hafnienſi*; p. 42. *Thomæ Iohannis Bangii, Flemloſiæ in Fionia nati, ann.* xxii *Hebr. ling. in Acad. Reg. Profeſſ. poſteà Th. D. & Profeſſ. Primarii IX. ann. primi Regii Palatii librarii Præfecti.* p. 46. *Iacobi Matthiæ Arbuſienſis Theol. D. & Profeſſ.* p. 50. *D. Cunradi Aslaci Bergis Nortvegorum ann.* 1569. *nati, inſigni verò Eccleſiæ damno Hafniæ anno* 1624. *denati, SS. Th. in Academia Hafnienſi Profeſſoris Primarii*; p. 26. *Chriſtiani Iani Hafnienſis, SS. Th. D. Rectoris quondam Scholæ Othonianæ, Gymnaſii ibid Profeſſoris, Paſtoris Viellenſis, Concionatoris Aulici, & deſignati Theol. Profeſſ.* p. 67. *M. Erici Olai Tormii*: p. 76. 77 *Nicolai Petræi SS. Theol. ac Phil. D. & PP.* p. 124. *Erici Monardi primùm Eccleſiæ Medelfardenſis in Fionia Paſtoris, Ripenſis tandem Diœceſis Epiſcopi & SS. Theol. D.* p. 205. *M. Eraſmi Ioh. Brochmand SS. Theol. in Acad. Reg.* Profeſſoris P. p. 214 ſeqq. *M. Danielis Pfeiffii, Eccleſiæ Teutonicæ Paſtoris, deſtinati Cathedræ Theologicæ Profeſſoris.* P. m. 1. recenſet *Paſtores à tempore reformationis in Templo B. Mariæ Sacro*: p. 115. *Paſtores Templi S. Spiritus*: p. 142. 143. *Templi* D. *Nicolai*: p. 183. 184. *Templi Holmenſis*: p. 213. *Templi S.* Petro *Dedicati*: p. 2, 6. *Regentiani & Novi Templi.* Plures exhibet Albertus Bartholinus *de Scriptis Danorum* libro poſthumo, qui auctior editus à fratre Thoma Bartholino Hafniæ cIↄIↄcLXVI. Quid ſcribam de THEOLOGIS SUECIÆ? Primus Evangelicæ veritatis ibi vindex fuit *Olaus Petri*, de quo David Chytræus in Saxonia lib XI. p. m. 292. Dn. Königius in Biblioth. p. m. 77. mentionem facit *Io. Baazii* (Epiſcopi Scarenſis) *qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam Sueo-Gothicam* Lincopiæ in 4. edidit. p. 128. *Io. Bosvidii* Guſtavi M. Concionatoris Caſtrenſis: p. 33. *Laurentii Fornelii* Profeſſoris Theologiæ & Poëſ. Upſal. p. 494. *Ionæ Magni* Theologi ibid. p. 514. *Olai Martini* Upſalienſis Archiepiſcopi &c. Noti ſunt *Petrus Kenicius* Archiepiſc. quoque Upſal *D. Olaus Laurentius* xxii. ann. ejuſdem Academiæ Regiæ Profeſſor, dein

Paſtor

Paſtor primarius Stockholmenſis & Conſiſtorii Eccleſiaſtici Præſes, poſtea Weſtmanniæ Epiſcopus in Weſterås, D. *Ioh. Kenuti Lennaus* Profeſſ. & Archiepiſcopus Upſalienſis, de quo D. Dorſcheus Expoſtulationis contra Judicium Iniquitatis Moguntinorum Theologorum &c. Epiſtol. Dedicat. ad Sereniſſimum CAROLUM GUSTAVUM, *Suecorum, Gothorum, Vandalorum Regem, &c. Religionis apud te optimis fundamentis radicata amor pleraq; tua colloquia dulcaverat. Memini, quæ cordata verba tua in Bibliotheca noſtra audiverim, cum in alteram uſq; horam de rebus divinis mecum colloquia protraheres, cum diſcrimina errorum notares, cum graviſſimi Doctoris tui* Dn. LENNÆI *prædicares pientiſſima monita, cum ſapientiſſimorum aviti Regni Epiſcoporum præcepta repeteres, cum è ſinu tuo expromeres libellum Sacrum, in quo tota Religionis divina ſeries expoſita erat, ex quo adoleſcentia tua ad Dei cultum formabatur, quem tenacius te complecti, quàm Homerum ſuum magnus Alexander, nobis aſſeverabas.* Inter illos, qui adhuc forſitan ſunt ſuperſtites, Theologus meritiſſimus Dn. D. Calovius Leſſu in obitum Dn. D. Haberkornii recenſet *Carolum Lithmannum*, Theologum Ubſal. primarium, *Georgium Preus*, Superintendentem in Livonia, *Iacobum Helvigium*, Paſtorem Teuton. Holmenſem, *Enorvaldum Suenonium* Theologum Aboenſem in Fionia. M. Johannes Herbinius, qui anno 1671. ab Eccleſiæ Vilnenſis Invariatæ Auguſt. Confeſſ. Proviſoribus Stockholmia ad functionem Eccleſiaſticam vocatus fuit, *de Religioſis Kijovienſibus Cryptis ſive Kijovia ſubterranea* Cap. VI. p. m. 36. edit. Jen. MDCLXXV. mentionem facit Archiepiſcopi Upſalienſis *Laurentii Stigzelii*, Revaliæ atque Æſthoniæ Epiſcopi *M. Ioh. Iacobi Pfeiffer*. Cum anno hujus ſeculi quinquageſimo ſecundo è Nundinis Vernalibus Francofurto Gieſſam adirem, itineris Comitem nactus fui eruditiſſimum tum temporis Philoſophiæ Candidatum Dn. *Abelem Kochium*, qui, ut patet ex Epiſtol. Dedicat. Diſſertationis de Agricola Duce, quam Helmeſt. 1667. Præſide Magnifico Conringio defendit *Ericus* Phœnix *O-Gothia Suecus*, poſtea fuit *Sereniſſ. Majeſt. Suec. Concionator Primarius, Conſiſtorii Aulici Præſes &c.* Anno cIↃIↃcLXX. Jenæ *Brevem Conſiderationem Theologiæ Muhammedanæ* edidit *Petrus Holm*, *Angermannia Suecus*, in linguis Anatolicis verſatiſſimus. Quos, ut & plures alios, ſuo tempore forſan producet Joh. Schefferus, Argentoratenſis, Ephemeridibus Eruditorum Gallicanis Part. III. p. m. 600. *eruditiſſimus Upſalienſis Academia in Suecia Profeſſor*, Dn. Kônigio in Biblioth. p. m. 11. *Ictus & Philologus Celeberrimus*, Joh. Herbinio de Cryptis Kijovienſibus Cap. XI. p. m. 92. *Magnus hoc ſeculo eruditionis vindex & auctor*, Dn. Henningo Witten Εἰσοδίῳ ad Memor. Philoſoph. rum, &c. Decades, *Orbis Arctoi ſidus hodiè fulgentiſſimum*, qui præter *Upſalia Veteris Deſcriptionem* edit. 1666. teſte Hallervordio in Spicilegio p. m. 45.

De *Claris Sueciæ Scriptoribus* librum propediem edendum promiſit. Ea hæreſis hodiè pleriſque familiaris eſt, ut præpoſtero ſanè judicio exiſtiment, non niſi vilioris conditionis homines ſtudio Theologico conſecrandos eſſe, licet aliter cenſeant, qui cerebrum non habent in calcaneo. *Nicolaus ab Ambsdorf* Eccleſiæ Collegiatæ in Arce Wittebergæ Canonicus, Magdeburg. ad D. Ulrici Paſtor, & aliorum in Veteri oppido conſtitutus, tandem Epiſcopus Naumburgenſis & Cizenſis introductus, & à D. Luthero inveſtitus, SS. Th. Licentiatus, *genere & genio Nobilis* fuit *Miſnicus*, qui, ut habet in Vitis Germanorum Theologorum Melchior Adami p. m. 68. *ad gentilitiam nobilitatem, propoſito honeſtiſſimo adjunxit à puero, literarum decus; ſine quibus natura bona inchoata aut manca ſunt, aut nulli fructuoſa.* Quem Jo. Sleidanus de Statu Religionis & Reipublicæ lib. XII. p. m. 395. *EX NOBILITATE THEOLOGVM VVITTEMBERGICVM* vocat. Videatur Heinricus Pantaleon de Viris Illuſtribus Germaniæ Part. III. p. m. 142. 143. *Bernhardus Zieglerus, qui*, juxtà Bejerum in Syllabo Rectorum & Profeſſorum Jenæ p. m. 462. *in Academia Lipſienſi ſub Lutheraniſmo primus Theologiæ Doctor A. Ch. 1543. creatus*, teſte Jo. Gualtherio ſive Grutero lib. II. Chronici Chronicorum Eccleſiaſt. p. m. 1097. & 1163. *Theologus fuit nobilis, Eques Miſnicus, Ebraicæ linguæ Profeſſor peritiſſimus.* In Boruſſia Orientali Epiſcopus Sambienſis erat *Georgius à Polentia*, de quo Chytræus in Saxonia Lib. X. p. m. 255. *Paulus Speratus à Rutilis*, Epiſcopus Pomezanenſis, juxta eundem Chytræum l. c. Melchiorem Adami in Vitis Germanorum Theolog. p. m. 200. *è nobili Sprettorum familia Suevica* natus fuit. *Alexander Aleſius*, Theologus Lipſienſis, referente D. Henrico Höpffnero in Oratione Parentali D. Polycarpi Lyſeri Junioris apud Witten. p. m. 374. fuit *Nobilis Scotus, ex Veteri Alexandri ab Ales celebris Doctoris Scholaſtici familia oriundus.* Theologus eximius *D. Hieronymus VVellerus*, ex *antiqua Nobilium à Molsdorff proſapia* originem traxit, de quo ſtemmate peculiaris editus eſt Tractatus Erfurt. MDXC. De *D. Iohanne Pappo* Profeſſore Argentoratenſi ſcribit Melchior Adami in Vitis Germanorum Theologorum p. m. 803. *quod natus fuerit anno Chriſti 1549. d. 16. Ianuarij. Lindavii ad lacum Acronium, Patre VIRO NOBILI Hieronymo Pappo, Conſule Lindavienſi prudentiſſimo, Viro armata togataq; militia claro, & de Religione ac Republ. Chriſtiana bene merito*, &c. Juxtà Bejerum in Syllabo citato p. m. 542. *Primus Theologiæ Profeſſor fuit Torpati in Livonia A. Ch. 1632. 15. Octobr. D. Andreas Virginius, Nobilis Pomeranus. D. Bartholdus Krakevvizius* SS. Th. Profeſſor Ordinarius, Generalis in anteriori Pomerania & Principatu Rugiæ Superattendens, Conſiſtorii Eccleſiaſtici Præſes, ad S. Nicolaum apud Gryphisvv. Paſtor, Facultatiſque Theologicæ & Reverendi Miniſterii Senior, ex *nobiliſſima in Inſula Rugia VVittovia Krakevvizsiorum familia* lucem hauſit, *in quo*, ut habet Programma Exequiale à Rectore Academiæ Gryphisvvaldenſis Franciſco Stypmanno J. U. D. & Profeſſ. Ord. apud Witten. p. m. 505. *illud ſtupendæ memoriæ indicium fuit, quod quotannis ſolenni Paraſceves die, paſſionem Salvatoris Ieſu Chriſti, per quatuor horas, è ſuggeſtu uberrimè dilucidans Auditoribus ſuis uſum & ſalutarem informationem impertiverit.* Sic *Matthias Hoe ab Hoenegg* SS. Th. D. celeberrimus, Aulæ ac Palatii Cæſarei Comes, Sereniſſimo Saxoniæ Electori à Conſiliis Eccleſiaſticis, Confeſſionibus ſacris

& Au-

& Aulicis Concionibus primariis, *Nobilis fuit Auſtriacus*, meritis in Eccleſiam & ſcriptis editis longè nobilior. Memoriam Admodum Reverendi, Nobiliſſimi & Excellentiſſimi Theologi *M. Hermanni Samſonii, Hereditarii in Veſten*, Regii per Livoniam Superintendentis, Paſtoris in Metropoli patria, & Profeſſoris Primarii, Oratione panegyrica in Illuſtri Rigenſium Collegio M. Joh. Breverus, Islebienſis, Eloquentiæ Profeſſor, anno MDCXLIII. celebravit apud Witten. p. m. 511. ſeqq. De quo D. Fridericus Balduinus Theologus Wittebergenſium celebratiſſimus Epiſt. Dedicat. ad *Burggravium, Conſules, & totum inclytum RIGENSIS Reipublicæ celeberrimæ Senatum*, Commentario in Epiſtolam priorem ad Corinthios præfixa edit. Witteberg. 1620. *Quam ad rem Deus pro ſua erga vos bonitate Eccleſiæ veſtræ laudatiſſimæ Doctores inſignes ſubinde largitus eſt, quorum opera doctrinæ puritatem ſervavit apud vos in hunc uſq; diem intemeratam. In quorum numero adhuc eſt, & ut diu ſit, opto, Vir Reverendus & Clariſſimus, Dominus M. HERMANNVS SAMSONIVS, Eccleſiæ veſtræ Paſtor primarius, & Scholæ Inſpector, amicus & frater in Domino, veteri familiaritate mihi conjunctiſſimus, quem pro iis, quibus ipſum divinitus inſtructum novi donis eximiis, coaxantibus iſtis ranis maſculè ſe opponere, &, ſi quod eo nomine vobis immineret periculum, illud ſua prudentia depellere audio, ita ut non poſſim intermittere, quin in hac mea compellatione vobis ſimul de hoc Viro ex animi ſententia gratuler, & pro proſperitate eius, vitaque diuturna in veſtrum omnium commodum vota faciam.* Præclarus Tubingenſium Theologus *Iacobus Reihingius* Auguſtæ Vindelicorum *Patritio & vetuſto genere* natus fuit, de quo Jo. Martinus Rauſcherus, ejusdem Academiæ Profeſſor in Laudatione Funebri XVII. Calend. Decembr. A. Ch. CIↃIↃCXXVIII. habita edit. Tubing. 1629. Imò *PRINCIPES* excelſo & ſublimi ſuæ dignitatis faſtigio haud indignum cenſuerunt (quicquid etiam ſentiat Didacus Saavedra Faxardo in Idea Principis Chriſtiano-Politici Symbolo IV. p. m. 33. edit. Colon. 1650.) *STVDIO THEOLOGICO* operam impendere, *ſacrasq; literas nocturna verſare manu, verſare diurna.* Inter quos immortale nomen adeptus *GEORGIVS PRINCEPS ANHALTINVS*, D. Lucæ Oſiandro in Epit. Hiſt. Eccleſ. Cent. XVI. p. m. 113. *PROFESSIONE THEOLOGVS: qui & Concionibus piis, & ſcriptis Theologicis, in publicum editis, Evangelicis Eccleſiis multum profuit*, juxtà Nicolaum Reuſnerum in Iconibus ſive Imaginibus Virorum literis Illuſtrium, *Princeps omnibus animi & corporis dotibus egregiè ornatus, primis ſtudiorum rudimentis Witteberga poſitis feliciter, quum rariſſimo à multis ſeculis exemplo, ſacroſanctæ Theologiæ totum ſeſe addixiſſet, Magdeburgenſis ac Miſnenſis Electus Eccleſiæ Præpoſitus, optimi & Principis, & Paſtoris, perfunctus munere, magna laude & auctoritate propemodum divina, quo felices illius ſubditi haberent, quem & in terris Dominum agnoſcerent, & ut Ducem in Cœlum præeuntem ſequerentur, &c.* De quo Heinricus Pantaleon l. c. p. m. 227. 228. Melchior Adami in Vitis Germanorum Theologorum p. m. 245. ſeqq. Jacobus Verheiden in Elog. Præſtant. Theologorum cit. Dn. Kônigio in Bibl. p. m. 41. Scripta ejus recenſet Geſnerus in Biblioth. p. m. 264. Cui Principi *PRINCIPVM SIDERI*, tu, *VIR EXCELLENTISSIME*, in tua *SCIAGRAPHIA* meritò conjungis in hac Palæſtra Theologica noſtris temporibus *PRINCIPEM PRINCIPVM*, Sereniſſimum *AVGVSTVM DVCEM BRVNSVICENSEM AC LVNEBVRGENSEM*, *qui*, judice D. Dietherro in *Bibliotheca Norica Animata*, &c. p. m. 224. *Principis formam, Principis nomen, Principis quoque animo implevit. Neſcias*, ita pergit Dietherrus, *utrum pietas, an eruditio in eo prævaleat*, &c. *Quò lingua, eruditione & pietate magnos fecerunt progreſſus, non ſine inenarrabili tam raræ virtutis & doctrinæ Principis admiratione, ingenij eius imagines, cumprimis verò HARMONIAM EVANGELISTARVM contemplantur & legunt, Aulam hanc ACADEMIAM potius, Principem verò, BIBLIOTHECAM AMBVLANTEM indigitando. Mirentur alii*

Ampliſſ

Ampliſſimi D. F. ſtudium & induſtriam, quod 80. *Bibliorum editiones in privatam ſuam Bibliothecam congeſſerit. Haſerunt ac planè ſtupuerunt oculi mei, dum Incomparabilem Principem iſtum univerſum ſacrum Codicem inexhauſta aviditate ac vigilantiſſimis oculis QVADRAGIES* (jam anno 1647 quo hæc ſcripſit Dietherrus) *perlegiſſe notarunt.* Vir Summus Hermannus Conringius de Bibliotheca Auguſta p. m. 155. 156. de illo: *Quanta porrò eruditio lateat in illis ſacris HARMONICIS operibus, quæ vernaculo ſermone in id piiſſimus Princeps, media inter diſcrimina feralis belli Germanici, elaboravit edidítq́ꝫ, ut eo promptius animos ſuorum rudiores ad religioſum Numinis cultum excitaret, initio facto à paſſionis Dominicæ hiſtoria!* Et p. m. 157. *Conſuluit verò ſumma induſtria Princeps non illos duntaxat, qui primo aut ſecuto Eccleſiæ ævo in Concordiam, ut aiunt, vocare ſacram Evangelii hiſtoriam allaboraverunt, Tatianum, Ammonium, Gerſonem, Alanum Copum, Mercatorem, Janſenium, Chemnitium noſtrum & alios, ſed ſimul ſacri codicis univerſi optimos quosq́ꝫ & celeberrimos Commentatores: quorum omnium locupletiſſimum theſaurum AVGVSTA ſuppeditat.* Et p. m. 158. *Hinc ſanè illud noſtrum (quidni enim NOSTRVM appellem, quo Optimus Princeps omnium noſtrorum pietati & æternæ ſaluti voluit conſultum?) Harmonicæ Paraphraſeos opus, vice eſt optimæ & luculentiſſimæ ſimul Commentationis. Neſcio num videris, BOINEBVRGI, alium quenquam idem qui conatus ſit. Ego, fateor, novi neminem.* D. Joachimus Hildebrandus Vir omnis antiquitatis cùm Eccleſiaſticæ tùm profanæ peritiſſimus, in *AVGVSTIS Cæſaris Octaviani Auguſti, & Sereniſſimi Principis Auguſti Ducis Brunſuic. & Luneb. totius Europæ Principum Senioris*, edit. Helmeſt. 1662. Cap. IV. *Si non aliunde, ſaltem ex religioſiſſimo ſcripto HARMONIÆ EVANGELICÆ, quæ de AVGVSTI regia manu & mente prodiit, Principis noſtri erga IESVM Salvatorem fides, Amor, ſtudium abundè conſtant, idque Princeps ipſe elegantibus Operi aureo præfixis ſententiis ad vivum expreſſit.* Alii librorum Autores nomina *ſcriptis ſuis cum magno ſæpè titulorum ſatellitio præfigunt, ſed tacito AVGVSTO Nomine (O inſignem Principis modeſtiam!) aliud, ſed quo nullum Chriſtiano pectori dulcius, puta AMATORIS IESV ſubſtituit.* Et Cap. V. ubi agit de *Auguſtorum ſtudiis & amore erga literas & literatos*, ſcribit: A *Guelphorum AVGVSTO non minus eruditionem omniq́ꝫ ſive Præſides ſive cultores æſtimari ex ingenua eruditorum omnium confeſſione fit manifeſtum, idq́ꝫ tot Epiſtolæ, tot carmina, tot libri AVGVSTIS honoribus dicti & dicati affatim vel me tacente loquuntur. Horum integrum quaſi exercitum, ſi voles, in* AVGVSTO ARBORETO *conſpicies, quos ut uno oculo contuearis,* ὀνοματολόγον *ſive Indicem* ARBORETO *præfixum inſpice, ubi viros doctos ultra DVCENTOS reperies, quorum omnium vox una:* AVGVSTI *gratiâ ſe foveri, eiq́ꝫ ſe eſſe peracceptos, vel cupere ſaltem commendatiſſimos fieri.* Conferatur Jo. Henricus Bœclerus in Panegyrico Sereniſsimo ac Celſiſsimo Principi, AUGUSTO Duci Brunſuicenſi & Lüneb. ſcripto anno CIↃIↃCXLIV. qui habetur inter Orationes ejus edit. Argent. MDCLIV. p. m. 70. ſeqq. Licet omnia iſta præconia *infrà meritum TANTI PRINCIPIS adhuc eſſe,* judicet Dn. Vincentius Placcius in Catalogo Pſeudonymorum p. m. 255. Plura poſſem in chartam conjicere, ſed ſpatiis excluſus, cum Typographo ob inſtantes nundinas ſit properandum, & ne videar Tractatum, non EPISTOLAM ſcribere, hic colophonem impono. Tu intereà, FAUTOR ET AMICE MAGNE, in tam lato campo lætus progredere, de Viris eruditis & piis, tu pietate & eruditione præſtans, ad Dei gloriam & Eccleſiæ utilitatem, optimè mereri perge, cui ut omnium bonorum Auctor, qui non modò mentem ſed & voluntatem indidit ad opus arduum, difficile, propeq; immenſi laboris quod omnes exoptant, expetunt, atque exſpectant, ſuſcipiendum, etiam vires facultatemque largiatur ad perficiendum, ex animo precor. Scribebam Auguſtæ Nemetum

Prid. Cal. April. A. O. R. CIↃIↃCLXXIX.

Mc